6
26/N
39

1422 h. 10

Digitized by Google

VII. 0 21

KF

Digitized by Google

Digitized by Google

PORPHYRII IN ARISTOTELIS PRAEDICAMENTA PER INTERROGATIONEM ET RESPONSIONEM BREVIS EXPLANATIO.

Nec non

DEXIPPI IN ARISTOTELIS PRAEDICAMENTA QVAESTIONVM LIBRI TRES.

Ioanne Bernardo Feliciano interprete.

Nunc primum in Latinam linguam conuerſi, atque in lucem editi.

KF
25



Pertinet ad Bibliothecā

Cautum priuilegijs Pont. Max.atq; Illuſtriſsimi Senatus Veneti, nequis hunc librum in aliquo ſue ditionis loco imprimat, aut alibi impreſſum uendat.

Venetijs apud Hieronymum Scotum,
M D XLVI.

de libris Card. Rasponi

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO IOANNI CASAE ARCHIEPISCOPO BENEVENTANO SVMMI PONTIFICIS APVD VENETOS LEGATO DIGNISSIMO

IOANNES BERNARDVS FELICIANVS S. P. D.

CVM DVO præſtantiſſimi apud græcos ſapientiæ magiſtri extiterint, illuſtriſſime Legate, Plato et Ariſtoteles, non ſolum diſſenſio inter multos eſt, utri principatus in philoſophia ſit deferendus, uerum etiam de eorundem diſſenſione magna contentio eſt. Alij enim adeo diſcordes eſſe inter ſe eos affirmare non dubitant, ut ſi alter approbetur, dignus uituperatione haberi alter neceſſario debeat: quippe qui a ueritate quæ una tantum eſt, etiam diſcrepet. Alij aſſerere illud quidem non audent, ſed ita tamē eos diſſentientes eſſe concedunt, ut reduci in concordiam non difficulter queant. Cui quidem ſententiæ libenter ego ſemper acquieui: primum quia non ſolum erga tantos uiros, tamq; bene atque egregie de uniuerſa uita hominum meritos, uerum etiam erga alios omnes qui humano generi præcipuam aliquam utilitatem afferre tentarint, eam reuerentiam adhibendam duco, ut ſi quid erraſſe uideantur, diſſimulandum ac boni conſulendum: & ſi qua in re inter ſe diſſideant, non calumniandum, ſed meliorem in partem, modo ſine euidenti aliqua a uero diſcrepantia id liceat, interpretādum eſſe exiſtimem: quippe cum etiam ſi ipſi fortaſſe unam & eandem rem alio atque alio modo ſumendo diſcordes eſſe uoluiſſent, ueritas tamen rei eſſet, quæ ipſos ad concordiam induceret: τῷ γὰρ ἀληθεῖ ut ipſe inquit Ariſtoteles, πάντα συνᾴδει: atque ita fieret, ut uerendum non eſſet, ne ſi alterum ex ſummis his ac grauiſſimis philoſophiæ auctoribus laudaremus, iniuria aliqua alterius id efficeretur: ſed e contrario alterius uel cumulatiſſima commendatione alterum quoque celebrari atq; extolli neceſſe eſſet. Deinde illud etiam me non mediocriter mouebat, q cum non tam uerba q; facta in uniuſcuiuſque rei conſideratione attendenda arbitrer, nonnullos ex Platonicis uidebam etiam uerbis id expreſſiſſe, & præcipue Simplicium, qui non ad eloquendi modum, ſed ad ſententias ſpectandum, atq; ita duorum horum philoſophorum conſenſum inquirendum aſſerit. cum enim duplex confirmandi ratio ſit, una quæ ab intellectu, altera quæ a ſenſu progreditur, apud eos qui cum ſenſu uiuunt, Ariſtotelem a ſenſu ſumptis demonſtrationibus diſputare propoſuiſſe, ita ut diuina etiam, & ea quæ naturam corruptioni obnoxiam excedunt, eo modo pertractet, quo ad naturam & ſenſum reſpiciunt: Platonem uero morem Pythagoricum ſequutum naturalia quoque ad diuina ſubleuando inueſtigare: ita ut cum re in pleriſque conſentiant, uerbis diſcordes eſſe uideantur. Pleroſque uero alios, quin etiam ipſum Ariſtotelem re ipſa idem confirmaſſe conſpiciebam. Nam & ipſe cum uiginti annos diſciplinę Platonicę operam dederit, in eo quantum Platoni tribueret, quantique doctrinam Platonicam faciendam putaret, mihi uidetur ſignificaſſe: ut diuerſa ab eo ſentire

ita temere cenſendus non ſit. & qui poſtea ſubſequuti ſunt Platonici fere omnes eius libris explanandis ſummum ſtudium impenderunt, nō diuerſum proculdubio negocium a profeſſione ſua ſe eſſe ſuſcepturos rati, ſi ea explicaſſent, quæ a principe familiæ ſuæ iam ſtudioſe ille didiciſſet. Nam ut omittam cæteros, quos in præſentia longum eſſet commemorare, duo hi qui præ manibus ſunt, & locupletes ad idem comprobandum teſtes accedunt: Quorum alter tantum abeſt, ut alienam a ſe Ariſtotelis philoſophiam exiſtimarit, ut eam & quinque uocum additione quodam modo amplificare, & explanationibus illuſtrare conatus fuerit. Duas enim in eius categorias, quæ prædicamenta appellant, commentationes conſcripſit: unam, qua breuiter ſimplicem auctoris ſententiam per interrogationem & reſponſionem explicauit: quam nos in præſentia nacti dedimus operam, ut cum latinis quoque communicaretur: alteram ſeptem libris elaboratam ad Gedalium inſcriptis, quibus omnes obiectiones & ſolutiones, quæ ad huiuſcemodi conſiderationem ſpectabant, abſolutiſſime, ut Simplicius teſtatur, fuerat complexus. In naturalis etiam audientiæ libros explanationes edidit, ex quibus extant nonnulla. Quin etiam ſicut qui librorum eius enumerationem faciunt, memorię prodiderunt, peculiare uolumen in ſeptem libros diſtinctum conſcripſit, quo unam & eandem Platonis & Ariſtotelis ſectam eſſe confirmaret. Dexippus uero Iamblichi diſcipulus quæſtionum in eaſdem categorias dialogos ea potiſſimum de cauſa uidetur compoſuiſſe, ut ea dilueret, quæ a Porphyrij præceptore Plotino Platonicæ diſciplinæ grauiſſimo & defenſore & propagatore obijciebantur, atque iccirco diſcordiæ cuiuſdam aliquibus afferre ſuſpicionem poterant. Horū nos libros tres qui extabant, etiam ipſos e græcis a nobis conuertendos, ac Porphyrij libello, quippe qui eiuſdem eſſent argumenti, adiungendos cenſuimus. Qua in re operæprecium quoque facturum me eſſe exiſtimaui, ſi id ſtuduiſſem, ut tam pręclara duorū horum Platonicorum de Ariſtotele teſtimonia tuo nomini illuſtriſſime Legate dicata in lucem prodirent: qui cum in ea dignitatis amplitudine conſtitutus ſis, ut grauiſſimis negocijs, quæ tibi a ſummo Pontifice identidem gerenda committuntur, ſemper ſis diſtrictus, nō modo egregiam philoſophandi rationem nunquam intermittas, uerū etiam in ea ita excellas, ut hanc de qua agebamus, philoſophorum concordiam in te ipſo manifeſtiſſime præ te ferre uidearis. Nemo enim eſt qui in Ioannis Caſæ eruditiſſimis ſcriptis quæ maxima cum omnium admiratione circunferuntur, ſicut copiam & eloquentiam Platonis, ita Ariſtotelis acumen & ingenium non agnoſcat, ac ſuſpiciat. Accedit ſumma morum integritas, atq; humanitas ſingularis, ob quam merito deuinctus tibi eſſe uel alienus unuſquiſque debet nedum ego, qui te ſemper ob eximias uirtutes & antea fama celebrem abſentem ſummopere diligebam, & nunc præſentem ita colo ac ueneror, ut beneuolentia erga te & obſeruantia nemini cedam: ut hac quoq; de cauſa mihi non eſſe committendum duxerim, quin aliquo laboris mei munuſculo, qualecunq; id fuiſſet, mei in te animi affectum ſi non exprimerem, ſaltem aliqua ex parte ſignificarem.

Vale.

Digitized by Google

CVR CATEGORIARVM hoc eſt prædicamentorum nomine liber inſcribatur. 1
Cur ante topica, aut de generibus entis, aut de decem generibus inſcriptiones non ſint admittendæ. 1
Cur de prædicamentis inſcriptio ſit accommodata: ubi etiam de nominibus primæ & ſecundę impoſitionis, & propoſito libri. 2
De propoſito libri ex Hermini ſententia. 2
Cur ante prædicamentorum doctrinam quædam alia exponātur. 2
Quo modo æquiuoca, uniuoca, multiuoca, diuerſiuoca, & denominatiua exiſtant. 2
Cur de æquiuocis, uniuocis, & denominatiuis tantum hic mentio fiat. 2
Cur prius de æquiuocis agat. 2
Cur non de æquiuocatione agat, ſed de æquiuocis. 2
Aequiuocorum diffinitio. 3
Cur cum alia multa æquiuoca ſint, de ſolo nomine meminerit. 3
Quo modo non ſolum nomen commune dicatur. 3
Quo modo nomen dicatur commune, & quot modis commune dicatur. 3
Cur dictum non ſit ratio ſubſtantiæ diuerſa, ſed additum ſit, iuxta nomen. 3
Cur non dictum ſit ratio ſecundum nomen diuerſa, ſed additum fuerit, ratio ſubſtantiæ. 3
Quot modis æquiuoca ſumantur. 4
Quo modo translatio ab æquiuocatione differat. 4
Vniuocorum diffinitio. 4
Multiuocorum diffinitio. 4
Diuerſiuocorum diffinitio. 5
Denominatiuorum diffinitio. 5
Ad denominatiua conſtituenda quot requirantur. 5
Propoſitū libri de ſimplicibus dictionibus eſſe, & quę dicantur cū complexione, & quę ſine. 5
Quænam ſit minima & maxima generum diuiſio. 5
Quo modo minima diuiſio in quatuor exiſtat. 5
Quod Ariſtoteles pro ſubſtantiæ & accidentis, uniuerſalis item & particularis nominibus deſcriptionis eorum rationibus uſus ſit. 6
De ſubſtantia uniuerſali. 6
De accidente uniuerſali. 6
De accidente particulari. 7
De ſubſtantia particulari. 7
Quid ſit eſſe in ſubiecto, & quot modis dicatur quiepiam eſſe in aliquo. 7
Quod diuiſio ab Ariſtotele ſubſtantię & accidentis uniuerſalis & particularis per decuſſationem fiat. 7
Quo modo quod eſt in loco, non ſit in ſubiecto. 7
Quo modo odor nunquam ſit ſine ſubiecto. 8
Quid ſit dici de ſubiecto. 8
Quo modo cum ſpecies de homine prædicetur, de Socrate dici non poſſit. 8
De differentijs. 8
Differentiam non ſemper de pluribus differentibus ſpecie dici. 8
Non ſemper ſpeciem de pluribus differentibus numero dici. 8
Quæ ſint diuerſa genera & ſubalterna. 9
Quo modo ſubalternorum eædem interdum, interdum non eædem ſint differentiæ 9
Quænam differentiæ ſuperioris de inferiori omnes, & quæ non omnes prædicentur. 9
Diuiſionem in maxima eſſe potius enumerationem. 9
Quæ ſint cum complexione, & ſine complexione. 10
Cur nullius ex decem generibus eſſe diffinitio queat. 10
Ex prædicamentorum compoſitione propoſitio exiſtit. 10
DE SVBSTANTIA, & cur primum de ea diſputet. 10

De qua ſubſtantia in prædicamentis agatur. 10
Diuiſio ſubſtantiæ in primas & ſecundas. 10
Primæ ſubſtantiæ deſcriptio. 10
Cur indiuidua ſubſtantia maxime proprie, & primo, & maxime ſubſtantia dicatur. 10
Secundæ ſubſtantiæ quæ ſint. 11
Cur genera & ſpecies primæ ſubſtantiæ potius non appellentur, ꝗ indiuidua. 11
Quæ ſpecies & genera ſecundæ ſubſtantiæ ſint. 11
Cur genera & ſpecies ſubſtantiarum ſecundæ ſubſtantiæ appellentur. 11
Species magis ſubſtantia ꝗ genus quo modo ſit. 11
Neque ſpecies inter ſe neque genera, neque primæ ſubſtantiæ altera ꝗ altera magis ſubſtantia eſt. 12
De proprio ſubſtantiæ, & quot modis proprium dicatur. 12
In ſubiecto non eſſe non ſolis ſubſtantijs eſſe proprium. 12
Omnia ex ipſis uniuoce dici non omnibus ſubſtantijs eſt proprium. 12
Differentia eſſe qualitatem eſſentialem. 12
Hoc quiddam ſignificare non omnibus ſubſtantijs conuenit. 12
Quo modo homo & animal qualitatem ſignificent. 12
Nihil ipſi eſſe contrarium non ſolis ſubſtantijs conuenit, ſed etiam quantitati. 13
Non admittere magis & minus non ſolius ſubſtantiæ proprium eſt. 13
Proprium ſubſtantiæ, ut una & eadem numero cum ſit, ſuſceptrix ſit contrariorum. 13
Solius ſubſtantiæ proprium ut ſuſceptrix ſit contrariorum. 13
Quo modo omnis etiam ſubſtantiæ ſit proprium, ut ſuſceptrix ſit contrariorum. 13
DE QVANTITATE, cur poſt ſubſtantiam primo ſubſequatur. 14
Quantitatis diuiſio, & ꝙ eiuſdem rei multæ eſſe diuiſiones poſſint. 14
Diſcreta quantitas quænam ſit. 14
Oratio diſcreta quantitas eſt. 14
Continua quantitas quænam ſit. 14
De ſuperficie. 14
De corpore. 14
De loco quo modo ſit quantitas continua. 15
De tempore quo modo ſit quantitas. 15
Quæ ſint ea quæ poſitionem habeant, & quæ non habeant. 15
Quantitates ex accidenti quæ ſint. 15
De motu ꝙ ſit quantitas ex accidenti. 15
Quantitati nihil eſt contrarium. 15
An in loco ulla ſit contrarietas. 16
Magnum & paruum neque quantitates definitas eſſe neꝗ contraria. 16
Magnum & paruum, multum & paucum non eſſe quantitates, ſed ad aliquid. 17
Non ſuſcipere magis & minus quantitatis ſolius non eſſe proprium. 17
Quod æqualis uel inæqualis dicatur, proprium quantitatis eſſe. 17
DE IIS QVAE SVNT AD ALIQVID, cur poſt quantitatem primo ſubſequantur. 17
Quænam ſint ad aliquid. 17
Non omnia ad aliqd ad eundē caſum dici, immo aliqua ne ad caſum qdem ullum dicunt. 17
Differentia eorum quæ ad eundem caſum dicuntur. 17
Cur recumbere, ſtare, & ſedere ad aliquid non ſint. 17
In quibus ex ijs quæ ſunt ad aliquid, ſit contrarietas & in quibus non. 18
Magis & minus non omnia quæ ſunt aliquid admittunt. 18
Proprium eorum quæ ſunt ad aliquid dici ad ea quæ reciprocantur. 18
Accommodate faciendam attributionem, ut reciprocatio fieri omnium poſſit. 18
Quo pacto nomina fingenda ſi deſint, ut accommodate fieri attributio poſſit. 18
Quid obſeruandum in aſſignatione accommodate facienda. 18
Quæ ſunt ad aliquid, ſimul natura ſunt. 19
De prioribus & poſterioribus natura. 19

Digitized by Google

De ſcientia & ſcibili, ſenſu & ſenſibili q̃ ſimul natura ſint. 19
Ex data diffinitione eorum quæ ſunt ad aliquid, quæ abſurditas ſequatur. 20
Ex aſſignata diffinitione fieri non poſſe quin ſubſtantia aliqua ſit ad aliquid. 20
Altera uerior diffinitio eorum quæ ſunt ad aliquid. 20
Qui unum præfinite norit in ijs quæ ſunt ad aliquid, etiam alterum cognoſcet. 21
DE QVALI SEV QVALITATE, cur ita facta inſcriptio ſit. 21
Qualitatis deſcriptio. 21.
Qualitas quo modo non ſit æquiuoca etiam ſi multis modis dicatur. 21
Quænam ſint qualitatis ſpecies, & q̃ habitus & diſpoſitio ſit una ſpecies. 22
Secunda qualitatis ſpecies naturalis potentia uel impotentia. 22
Tertia qualitatis ſpecies paſſiuæ qualitates & affectiones. 22
Affectiuæ qualitates, & affectiones in anima. 22
Tertia ſpecies qualitatis quo modo a prima & ſecunda differat. 22
Quinta ſpecies qualitatis figura & forma, & quo modo figura alio modo qualitas, alio quantitas ſit. 22
Quæ forma qualitatis ſpecies ſit. 23
Cur raritas & denſitas, aſperitas & leuitas non ſint qualitates. 23
In quibus qualitas nomen non habeat, ſed quale: uel non quale, ſed qualitas. 23
Contrarietatem eſſe in qualitate, ſed non omni neq; ſola. 23
Quo modo priuationis genus inquirendum ſit. 24
Quæ qualitates magis & minus ſuſcipiant. 24
Qua regula in exploranda ſuſceptione magis & minus utendum ſit. 24
Proprium qualitatis eſſe ſimile & diſſimile dici. 24
Habitus quo modo eſſe & qualitas & ad aliquid poſſit. 24
DE FACIENDO ET PATIENDO. 25
DE EO QVOD EST SITVM ESSE. 25
DE EO QVOD EST QVANDO, & ubi, & habere. 25

PORPHYRII IN ARISTOTELIS PRAEDICAMENTA PER INTERROGATIONEM ET RESPONSIONEM *breuis explanatio*,

IOANNE BERNARDO FELICIANO INTERPRETE.

Cur categoriarum, id eſt prædicamentorum nomine liber inſcribatur.

INTERROGATIO. 1.

QVA de cauſa cum in conſuetudine ſit, ut κατηγορία .i. accuſatio uocetur ea quæ criminando in iudicijs uerſatur, cui defenſio opponitur: Ariſtoteles, qui docere non uult, quo pacto aduerſarios apud iudices accuſemus, ſed aliud quippiã, quod hoc nomine appellari apud Græcos minime cõſueuit, nouo hoc categoriç & inuſitato uerbo librum ſuum inſcripſit? *Reſponſio.* Propterea ꝙ conſuetudo cum res quæ in promptu ſunt, & facilia declaret, ad eas ſignificandas uerba ex communi uſu mutuatur. Philoſophi uero quia abdita ac pleriſque ignota exponunt, nouis uocabulis indigent ad ea exprimenda: atque icirco uel ipſi uerba noua & inſueta finxerunt, uel poſitis in aliud ſignificatum detortis abuſi ſunt, ut res a ſe excogitatas & inuentas explicarent. *Inter.* Exemplo nobis hoc declara, quod dicis. *Reſp.* Ariſtoteles cum animaduertiſſet quaſdam ſpecies rebus ſuperuenire, quando id quod uel a natura uel ab arte fit, proprium finem conſequitur: quemadmodum quando ſemen animalis iactum a natura motum atque abſolutum equus exempli cauſa euadit: ubi uidelicet iam animatum eſt effectum, & animati proprietates iam accepit: animam ἐντελέχειαν .i. perfectihabiam nuncupauit, ex eo ꝙ ſemen in finem proprium deductum animal perfecerit. Quando item ab artifice æs in ſtatuam cõformatum eſt, ἐντελέχειαν .i. perfectionem ſpeciem & formam ęri ab artifice inductam appellauit. Ipſe enim nomẽ hoc ἐντελεχείας .i. perfectihabię ad huiuſcemodi actum ſignificandum finxit, quod in uſu antea non erat. Capitatum item quod de alio dici conſueuerat, ipſe de eo quod habet caput, præter conſuetudinem uſurpat, capitatæ rei caput accommodatius dici aſſerens, ꝙ animalis. Nam caput habentis ſignum eſt capitatum: quippe cum capitati caput ſit: propterea ꝙ non omnia animalia caput habent: cuiuſmodi ſunt echini & urticę marinæ, & id genus cætera. Vnde etiam ipſe inquit: Interdum uero etiam nomina fingere opus eſt. Sic igitur cum nomen categoriæ de accuſatione quæ oratione in dicendis cauſis fit, uſitate diceretur, ipſe dictionum res ſignificantium denuncupationes categorias .i. prædicamenta appellauit. Quare omnis ſimplex dictio ſignificatiua cum de ſignificata re dicitur, prędicamentum uocatur. Vtputa, cum res ſit lapis hic qui monſtratur, & tangitur, & uidetur, cum de eo dicimus, hæc res lapis eſt, hæc dictio/lapis/prędicamentum eſt: quippe cum talem rem ſignificet, & de lapide quæ res eſt quæ monſtratur, denuncupetur. Atque eodem modo in cæteris.

Cur ante topica, aut de generibus entis, aut de decem generibus inſcriptiones non ſint admittendæ.

Interrogatio. 2.

NVnquid igitur prædicamenta tantum inſcripſit huic libro, aut etiam ut alij, decem prædicamenta? *Reſponſio.* Nequaquam. *Inter.* Cur dixiſti nequaquam? *Reſp.* Quia alij ante topica: alij de generibus entis: alij de decem generibus inſcripſerunt. *Inter.* Nunquid recte id fecerunt? *Reſp.* Minime. *Inter.* Oſtende quæſo, quænam uniuſcuiuſque ex his inſcriptionibus abſurditas ſit. *Reſp.* Ante topica quidem abſurde inſcriberetur. *Inter.* Qua de cauſa? *Reſp.* Cur enim ante topica, & non potius ante reſolutoria, & ante librum de interpretatione inſcribi deberet? non enim ob topicorum doctrinam prędiſcenda ſunt prædicamenta, ſed ob reſolutoriorum etiam & categoricarum

propoſitionum cognitionem, & reliquas omnes fere diſciplinas; quippe cum maxime elémentalis & introductorius ad omnes philoſophiæ partes liber hic ſit: & magis naturalem ſciéntiam præcedere, quàm topicam debeat: naturæ enim opus ſubſtantia, quantitas, qualitas, & reliqua ſunt. De generibus autem entis, aut de decem generibus inſcriptio nullo modo facienda eſt. *Inter.* Curnam? *Reſp.* Quia entia & eorum genera & ſpecies & differentiæ res ſunt, non uoces: Ariſtoteles uero ubi decem hęc enumerauit, ſubſtãtiam, qualitatem, quantitatem & cætera, ſubiungit: unũquodque ex antedictis ipſum per ſeipſum in nulla affirmatione dicitur: ſed ex horum inter ſe connexione affirmatio efficitur. Nã ſi horum connexio affirmationem facit: affirmatio autem in uoce ſignificatiua & oratione enunciatiua eſſentiam ſuam habet: nequaquam de generibus entis eſſe tractatio hæc poteſt, neque omnino de rebus quatenus ſunt res, ſed potius de uocibus, quæ res ſignificent. Non enim rerum ipſarum cõnexio affirmatio eſt, ſed uocum quæ res ſignificant. Quin ex uerbis etiam ipſius idem colligitur, cum inquit: Eorum quæ ſecũdum nullam cõnexionem dicũtur, unũquodque aut ſubſtantiam ſignificat, aut quantitatem, & quæ ſequuntur. Si enim de rebus eſſet ipſi ſermo, nequaquam dixiſſet, aut ſubſtantiam ſignificat: quippe cum non res ſignificent, ſed ſignificentur.

Cur de prædicamentis inſcriptio ſit accommodata: vbi etiam de nominibus primæ & ſecundæ impoſitionis, & propoſito libri.

Interrogatio.

AT uero inſcriptionem non eſſe neque ante topica, neque de generibus entis, neque de decem generibus, ſatis ſuperque declaratum a te eſt. Nunc de prędicamentis eſſe inſcribendum oſtende. *Reſponſio.* Sed illud quidem demonſtrari non poſſet, niſi prius propoſitum libri quodnam ſit, fuerit explicatum. Nam ſi id conſtabit, inſcriptionem quoque de prædicamentis accommodatam eſſe facile perſpiciemus. *Inter.* Propoſitum igitur tractationis libri huius expone. *Reſp.* Dicendum itaque hoc pacto eſt: cum ad res in mundo expoſitas ſignificandas ac manifeſtandas homo idoneus euaſerit, eo deuenit, ut uoce etiam ſingula quæque nominaret, atque exprimeret. atque ita primus uſus dictionum ac uerborum ipſi extitit, ut uocibus quibusdam ac dictionibus unamquanque rem ſignificaret. Qua quidem uocum prima ſignificatione hanc rem ſcamnum, illam hominem, aliam circulum, quandam ſolem appellauit. & item aliam colorem album, aliam nigrum: numerum aliam, aliam magnitudinem: aliam bicubitalem, aliam tricubitalem uocauit. atque in hunc modum ſingulis rebus nomina quædam impoſuit, quæ huiuſcemodi uocum ſonis ipſas ſignificarent, atque indicarent. Vbi uero prima hac ſignificatione dictiones quædam quaſi rerum ipſarum ſigna conſtitutæ eſſent, rurſus homo ſecunda animaduerſione uſus ad eaſdem contemplandas reuerſus eas quæ talem formam haberent, ut articulis huiuſmodi coaptarentur, nomina appellauit: alias uero cuiuſmodi eſt deambulo, deambulas, deambulat, uerba nũcupauit: quaſdam formas uocum ſecundis his nominum & uerborum appellationibus exprimens. Quapropter quòd quædam hęc res aurum uocetur, quòdque huiuſmodi materia ita effulgens ſol fuerit appellata, primæ nominum impoſitionis fuit: quòd uero dictio hæc, aurum, nomen eſſe dicatur, illud ſecundę eſt impoſitionis, atque eius quę certæ cuiuſdam dictionis formam ſignificat. Propoſitum igitur libri eſt de prima dictionum cõpoſitione, quę res ipſas exprimit. eſt ſiquidem de uocibus ſignificatiuis ſimplicibus, quatenus rerum ſunt ſignificatiuæ, atque illis quidem non numero, ſed genere tantum inter ſe differentibus. Nam tam res quàm dictiones numero fere infinitæ ſunt. Sed ipſe de dictionibus quę numero differunt, diſſerere minime propoſuit. Cum enim quę multa numero ſunt, unum ſint uel ſpecie uel genere: fit ut infinitas rerum, & uocum quæ res ſignificant, decem generibus comprehendatur. Quocirca cum decem generalibus differentiis ea quæ ſunt, comprehendantur, decem quoque uoces quæ ipſa ſignificant, ſint, neceſſe eſt, decem generibus etiam ipſę contentæ. Decem igitur dicuntur prędicamenta genere uidelicet: non ſecus atque ipſę res genere decem ſunt. Vnde quia de uocibus ſignificatiuis propoſitum libri huius eſt, quatenus ſignificãt, quę quidem diuerſę genere ſunt: nuncupare res de aliquo ſignificato denuncupare, hoc eſt prædicare dixerunt: cum dictio uidelicet ſignificatiua de rebus diceretur. Atque iccirco merito denuncupationes ſeu prædica-

menta

menta traditionem de ſimplicibus dictionibus inſcripſit, quæ quatenus ſignificatiuæ ſunt ex prima impoſitione in unoquoque genere conſiderarentur. *Inter.* Sed quo pacto ſi de uocibus ſignificatiuis tractatio hæc eſt, de rebus tota ipſi eſt diſputatio? *Reſp.* Quia ſane uoces cum ſimiles nuncio ſint, res enunciant: ex rebusque quas enunciant, differentias ſumunt: ut ex quibus neceſſarium uſum habent, ea neceſſario conſiderentur: atque ita ex generalibus differentijs quas enũciant uoces, ipſæ quoque diuerſitatem in genere conſequantur. Rerum igitur genere diuerſarum inquiſitio obiter incidit. De uocibus uero ſignificatiuis ſicut dictum eſt, præcipua eſt diſputatio. *Inter.* At ſi hic ſignificatiuas uoces in decem genera diſtinxit, quo modo in libro de interpretatione eaſdem in nomen & uerbum diuidit? *Reſp.* Quia hic de prima dictionum impoſitione qua res ſignificantur, diſputatio inſtituta eſt: in libro de interpretatione uero de ſecunda agitur. Non enim ibi de dictionibus res ſignificantibus, quatenus ſignificatiuæ rerum ſunt, ſermo habetur: ſed de dictionibus formam uocum ſignificantibus, quatenus formæ eiuſmodi ſunt. Forma ſiquidem uocis eſt, ut uel nomen ſit, uel uerbum: necnon ut propria ſit, uel translatitia, uel alioqui figurata, ad ſecundam de uocibus tractationem, non ad primam pertinet. *Inter.* Nunquid alij qui de prædicamentis ſcripſere, differentiam hanc omnes agnoſcunt? *Reſp.* Minime. Non enim alij de generibus eorum quæ ſunt, principalem eſſe hic tractationem exiſtimarent: alij uero contradicerent diuiſione illorum reprobata, quippe quæ multa prætermitteret, & non complecteretur, uel etiam econtrario redundaret. *Inter.* Quinam iſti ſunt? *Reſp.* Athenodorus & Cornutus, qui ea quæ de dictionibus in quęſtionem ueniunt, quatenus dictiones ſunt, cuiuſmodi ſunt propria & figurata, & id genus cętera: ſunt enim differentiæ dictionũ, quatenus ſunt dictiones: in medium producentes, ac dubitãtes cuiuſnam eſſent prædicamenti, & non inuenientes, mancam eſſe diuiſionem aſſeruerunt: quippe quę non omnem uocem ſignificatiuam comprehenderet.

De propoſito libri ex Hermini ſententia.

Interrogatio.

SEd omnes ne de propoſito huius prædicamentorum diſciplinæ errauerunt? *Reſponſio.* Nullo modo. Verum & Boethus in ijs quæ in prædicamenta conſcripſit, & Herminus breuiter hæc expoſuit. *Inter.* Refer quæſo quæ Herminus dicat, quandoquidem breuibus inquis fuiſſe explicata. *Reſp.* Herminus inquit, propoſitum hic eſſe neque de primis quæ in natura rerum ſunt, & maxime generalibus generibus, propterea quod huiuſcemodi doctrina adoleſcentibus minime conueniat: neque quænam primæ & elementales eorum quę dicuntur, differentiæ ſint, ut diſputatio de partibus orationis eſſe uideatur: ſed potius de dictionũ prędicatione, quę in unoquoque genere entiũ ſit accommodata: ut propterea quodam modo de generibus loqui fuerit neceſſe, ad quę eorum quę prædicarent, relatio efficiebatur. Fieri enim non poteſt, ut accommodata unicuique rei ſignificatio agnoſcatur, niſi aliqua rei ipſius cognitio anticipet. Iccirco libri inſcriptio eſt prædicatio, ſeu denuncupatio, quæ uidelicet unicuique rerum generi exprimit ſignificationem. Quod autem decem numero genera ipſa ſint, procedens diſputatio manifeſtabit. Nam inde etiam prędicamentorum idem numerus extitit. Qui uero de decem generibus librum inſcribit, is neque abſurde id facit, ſi tantum ad relationem quam uoces ad genera habent, ſpectet, & non principali ratione de decem rerum generibus eſſe intelligendum putet.

Cur ante prædicamentorum doctrinam quædam alia exponantur.

Interrogatio.

SI de decem prædicamentis diſputatio eſt, cur non ab his ſtatim a principio doctrinæ exordium ſumpſit, non ab æquiuocis & uniuocis & denominatiuis? nam hoc pacto mihi quidem ei eſſe ſimilis uidetur, qui aliud cum promiſerit, aliud dat. *Reſp.* At neque quia ſuperuacuus ſit, neque quia propoſitæ rei fuerit oblitus, de his prius loquitur, ſed ut quæ neceſſaria erant ad prædicamentorum doctrinam, antea exponat: ne ſi inter diſputandum docere ea ſubinde cogatur, digrediendum ipſi ſit, atque ita continuatam diſſerendi ſeriem interrumpat. Sicut enim Geometræ diffinitiones quaſdam, & auctoramenta, & poſtulata, & di-

ſtinctiones prius exponere conſueuerunt, quę ad euidentiam ſequentium theorematum prę diſcenda ſunt. Ita etiā Ariſtoteles prius de æquiuocis, uniuocis, & denominatiuis doctrinam tradit, cæteraque omnia quæ ſequuntur, utiliſſima ad prædicamentorum cognitionem præ docet: quorum utilitas loco ſuo declarabitur.

Quo modo æquiuoca, vniuoca, multiuoca, diuerſiuoca & denominatiua exiſtant.

Interrogatio.

VTilitatem quidem eorum quę ante prędicamētorum traditionem exponunt, poſtea explicatus. Nūc uero quid ſibi uelint ęquiuoca et uniuoca, & ſi quid eiuſmodi ordinis eſt, quid unumquodque ſignificet, & unde, & quo modo extiterit, doce. *Reſp.* Sciendum eſt, unamquanque rem & nomē & diffinitionem ſeu deſcriptionem habere. Exempli cauſa cum res hæc, puta homo, nomen habeat, quod eſt homo, quo ſignificatur, habet quoque inſuper diffinitionem: nam hominem eſſe animal rationale, mortale, mentis & ſcientiæ capax dicimus. quippe cum unaquæque res & per nomen explicetur, & per orationem diffinitiuam, quæ naturam eius & eſſentiam manifeſtat: quemadmodum cum uocem proprium ſenſibile auditus eſſe dicimus. Cum igitur omnis res & nomen & orationem diffinitiuam habeat, reſpectus in rebus huiuſcemodi orationum ad nomina quatuor euadunt. Nam res uel in nomine & oratione communicant, uel in nomine & non in oratione, uel in oratione & non in nomine, uel neque in oratione, neque in nomine. Ac cum in nomine quidem res conueniunt, & non in oratione, ęquiuoca dicuntur. Cum uero & in oratione & in nomine communicāt, uniuoca appellantur, hoc eſt συνώνυμα quaſi id exprimat uerbum, quod σὺν τῷ ὀνόματι .i. ſimul cum nomine eandem quoque orationem naturæ explicatricem admittant. Cum autem orationis tantum non nominis etiam eiuſdem participes ſunt, uocantur multiuoca. At cum neque nomen, neq; orationem ſuſcipiunt, diuerſiuoca nuncupantur. Tametſi quintus quoque modus accedit, cum aliqua quæ ſunt diuerſa ab aliis fiunt, ita ut & in nomine, & in oratione quodāmodo conueniant, ſed transformatione differant: ea denominatiua appellantur.

Cur de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis tantum hic mentio fiat.

Interrogatio.

NVnquid horum omnium meminit Ariſtoteles? *Reſp.* Minime. *Inter.* Sed quorum mētionem facit? *Reſp.* Aequiuocorum, & uniuocorum, & denominatiuorum: multiuoca autem & diuerſiuoca prætermittit. *Inter.* Qua de cauſa? *Reſp.* Quia his opus ipſi non erat. Eorum enim quę ad rem faciebant, mentionem tantum facit.

Cur prius de æquiuocis agat.

Interrogatio.

AQuibuſnam incepit? *Reſp.* Ab ęquiuocis. *Inter.* Sed cur ab ęquiuocis, & nō potius ab uniuocis exorſus eſt, quę et in nomine & in oratione communicant? Quod enim in utriſque conuenit tam nomine quam oratione manifeſtius & clarius eſt, quam quod nominis ſolius eſt particeps. *Reſp.* Quia ens æquiuocum eſſe Ariſtoteli uidetur, & prędicamenta æquiuoce dicuntur prædicamenta: idcirco prius de æquiuocis diſſerit.

Cur non de æquiuocatione agat, ſed de æquiuocis.

Interrogatio.

QVamobrem uero non de æquiuocatione, ſed de æquiuocis prius agit? cum æquiuocatio uox ſit, æquiuocæ autem res ipſæ exiſtant: tu uero de uocibus in hoc libro non de rebus præcipuam eſſe tractationem aſſeras? *Reſp.* Quia uidelicet dictionis nota in uoce æquiuocationem nullam facit: ſed res ſunt, quæ cum diuerſæ reperiantur, nullamque inter ſe communicationem habeant, uno tamen & eodem uocabulo nuncupantur. Prius autem quam perſpectum fuerit res eas plures eſſe, quæ eiuſdem rationis & diffinitionis participes non ſint, ne ulla quidem eſſe poſſet æquiuocatio. *Inter.* Sed quid hoc facit ad id, ut non a uoce, ſed a rebus incipiendum ei fuerit? *Reſp.* Quia cognoſci nullo modo poſſet rerum ęquiuocatio, niſi prius res ęquiuocas eſſe fuiſſet perſpectum. Neceſſe igitur fuit, ut prius

doceret quænam res æquiuocæ eſſent, ut æquiuocatio, atque huiuſmodi uocabulum innoteſceret.

Aequiuocorum diffinitio.

Interrogatio.

QVo pacto igitur Ariſtoteles æquiuoca diffinit? *Reſp.* Aequiuoca dicuntur, quorum nomen ſolum commune eſt, ratio uero ſubſtantiæ iuxta nomen diuerſa.

Cur cum alia multa æquiuoca ſint, de ſolo nomine meminerit.

Interrogatio.

SEd ſi non in ſolis nominibus eſt ęquiuocatio, ſed in uerbis quoque & in coniunctionibus, ut in uerbo prędatur: nam & qui diripit alterū, prędatur, & qui diripitˀ ab altero: cur quaſi in ſolis nominibus ſit æquiuocatio, dixit, quorum nomen ſolum commune eſt? *Reſp.* Idcirco quia hæc uox (nomen) non ſolum de ijs dicitur, quæ proprie nomina appellantur, quibus articulus præponi conſueuit, ſed de omni etiam parte orationis. quippe cum quando de uerbis etiam inquirimus, an æquiuocationem in ſe habeant, pręponere articulum ipſis ſoleamus, & declinare, non ſecus ac nomina, quę uno ſolo caſu prædita ſint. dicimus enim cum articulo τὸ ἀνδραποδίζεσθαι, hoc quod eſt prędari, ęquiuocum cum ſit, etc. Sumptum igitur eſt hic nomen, quod communiter de omni parte orationis intelligitur.

Quo modo ſolum nomen commune dicatur.

Interrogatio.

REcte quidem quo pacto ſumptum hic nomen ſit, expoſuiſti. Sed quod inquit (ſolum) ſcire cupio quo modo ſit accipiēdum. Nunquid ita, ut unum ſignificet, quemadmodum dicere conſueuimus, ſolus eſt mundus, hoc eſt unus? an in eam ſignificationem, ut ad alterius diſtinctionem ſpectet: ſicut cum dicimus, iſte tunicam ſolam habet; ubi ſubintelligendum eſt pallium eum, aut tale quicpiam non habere? *Reſp.* Solum hic ad diſtinctionem eſſe poſitum aſſero. *Inter.* Cuiuſnam? *Reſp.* Diffinitionis. Nam cum omnem rem & nomen & diffinitionem habere dixerimus, ſolum hic ad diſtinctionem diffinitionis ſumptū eſt: quippe cum æquiuoca nomen tantum commune, non etiam rationem diffinitiuam habeant.

Quo modo nomen dicatur commune, & quot modis commune dicatur.

Interrogatio.

SEd commune quo pacto eſt accipiendum? prius tamen quot modis commune ſumatur, expone. *Reſp.* Multis modis. Nam commune dicitur, quod in partes diuiſibile eſt, ut panis & uinum, ſi unum ex ijs ſit, quę diuidantur; pecuniæ item communes in eo ſunt, quod diuidi in partes poſſunt. Commune etiam appellatur, quod licet in partes diuidi non poſſit, in uſum tamen a multis ſumitur, ut equus & ſeruus, qui pluribus fratribus in uſum cedit. Illud quoque dicitur commune quod præoccupatione alicuius fit, & poſt uſum in commune iterum redit: cuiuſmodi eſt balneum, & theatrum. Accedit aliud communis ſignificatum, cum totum ſimul in uſum multorum euadit abſq; ulla diuiſione. Ita enim uocis pręconis omnibus ijs qui ſunt in theatro, communis uſus eſt: quæ in ſingulos qui adſunt, in minima diuidi nullo modo poteſt. *Inter.* Sed quo ſignificato commune hic ſumitur? *Reſp.* Eo quod ultimo loco commemoraui, cum uidelicet communis uſus multis ſimul efficitur rei, quæ nulla diuiſione admiſſa integra permanet. Vox enim hæc (Aiax) commune uſum exhibet eadem tam de Oilei quam de Telamonis filio ſumpta, atque indiuiſa in utroque ſeruata.

Cur dictum non ſit ratio ſubſtantiæ diuerſa, ſed additum ſit, iuxta nomen.

Interrogatio.

QVo modo quidem dicta ſint æquiuoca, quorum uidelicet ſolum commune nomen eſt, clare explicaſti: quod uero ſequitur, ratio autem ſubſtantiæ iuxta nomen diuerſa, nobis declara. ac primum cur adiunxerit ratio ſubſtantię iuxta nomen diuerſa, & non ſatis ipſi fuerit, ſi dixiſſet, ratio ſubſtantiæ diuerſa? *Reſp.* Ea cauſa, quia neque eſſe quidem poſſet uera diffinitio, niſi iuxta nomen aſſignaretur, & nomini eſſet cognata. *Inter.* Dic quęſo

quod inquis paulo apertius. *Reſp.* Superius iã diximus rem omnẽ aut nomine, aut ratione ſeu oratiõe diffinitiua ſignificari. diffinitiua aũt ratio cognata nomini eſſe debet, ita ut rẽ eatenus explicet, quatenus nomine eo ſignificatur. Quẽadmodum hęc ſubſtantia, ſit autẽ exempli cauſa homo ſubiectus, uocatur homo, & item animal, ſignificatione eius uno nomine cõprehenſa. ſi uero oratione quæ æqualem nomini uim habeat, exprimere eſſentiam eius uelimus, & animal rationale mortale, & ſubſtantiam animatam ſenſibilem eum eſſe dicemus. Sed quatenus homo appellatur, conuenientem nomini eam rationem aſſignabimus, quæ animal rationale mortale cum eſſe inquit: quatenus uero animal, ſubſtantia animata ſenſibilis nomini correſpondebit. Si igitur ſubiectam ſubſtantiam hominem uocaueris, tum ipſam nomine ita expreſſam, oratione etiam uelis explicare, & dicas ſubſtantia animata ſenſibilis, uerum id quidem dixeris, non tamen conuenientem nomini diffinitionem aſſignaueris, ſed ſuperuacue & erratice. *Inter.* Sed quid eſt quod inquis, ſuperuacue & erratice? *Reſp.* Quia diffinitiones cum nominibus debent reciprocari. Reciprocari autem eſt adæquari, & neque redundare, neque deficere. ut ſi quid eſt homo, id animal quoque eſt rationale mortale. Verum eſt. *Inter.* Sed reciproca, & uide an ſimili modo uerum ſit. *Reſp.* Et ſi quid eſt animal rationale mortale, idem quoque homo eſt. Verum etiam hoc eſt. Præterea ſi quid eſt homo, id ſubſtantia quoque eſt animata ſenſibilis. uerum eſt. *Inter.* Reciproca. *Reſp.* Si quid eſt ſubſtantia animata ſenſibilis, eſt etiam homo. hoc profecto falſum eſt. ecce enim, bos ſubſtantia eſt animata ſenſibilis & non eſt homo. *Inter.* Quid igitur in cauſa eſt? *Reſp.* Id proculdubio, ꝙ animal rationale mortale ad nomen hominis aſſignatum eſt: unde nulla differentia eſt, ſiue ſubſtantiam hanc, quæ eſt homo, animal rationale mortale eſſe, ſiue animal rationale mortale eſſe hominem dixerimus. quippe cum oratio diffinitiua quę eſt animal rationale mortale cum nomine hominis ęqualem uim habeat. At ſi hominem dixeris, & orationem diffinitiuam eius ſubſtãtiam animatam ſenſibilem ſubiunxeris, non iuxta nomen hominis quod poſitum eſt, eam aſſignabis. Omnis igitur diffinitio, ſi recte aſſignari debet, iuxta nomen, hoc eſt conueniens nomini aſſignanda eſt. Nam ꝙ hoc in omni diffinitione obſeruari opus ſit, uniuoci quoque diffinitio declarat, & ipſe etiam Ariſtoteles, cum diffinitiuam rationem iuxta nomen aſſignandam eſſe ubique præcipiat. Quando igitur cum & Oilei filius, & Telamonis Aiaces appellentur, utriq; quinam ſint diffinire uolens dixeris, de Oilei quidem filio, hic eſt Aiax Oilei filius, genere Locrenſis: de altero uero Telamonis, hic eſt Aiax Telamonis filius, Salaminius natione: perſpicuum eſt, te hic nomine Aiacis communiter in utriſque uſum fuiſſe, uterq; enim Aiax nominatur: in aſſignanda uero deſcriptione, quæ loco diffinitionis eſt, alteram Aiacis Locrenſis, alteram Salaminij diffinitiuam ſeu deſcriptiuam rationem attuliſſe. At ſi utroſque homines appelles, diuerſa nullo modo ad nomen hominis diffinitione in utriſque uteris: quippe cum utrique quatenus homines ſunt, commune hominis nomen habeant, cui conſentanee animalia rationalia mortalia eos eſſe communiter aſſeres.

Cur non dictum ſit ratio ſecundum nomen diuerſa, ſed additum fuerit, ratio ſubſtantiæ.

Interrogatio.

QVod quidem particula hæc, iuxta nomen, non in ſola æquiuocorum diffinitione adiuncta ſit, ſed neque alio quidem modo aſſignari recte alicuius diffinitio poſſit, niſi nomini diffinitiua ratio conueniens ſit; optime explicaſti. Sed illud inſuper quæſo manifeſta, cur adiunxerit, ſubſtantię ratio? Si enim dixiſſet tantũmodo, ratio autem ſecundum nomen, diuerſa, illud quidem eſſe ſatis mihi uidebatur. *Reſp.* Cum oratio ſeu ratio multis modis dicatur: eſt enim ratio calculandi & ſubducendi, eſt item tam quæ ore profertur, q̃; quæ animo concepta intrinſecus latet: inter cætera ratio etiam diffinitio dicitur. ut igitur ab alijs ſignificatis diſtinguatur, ratio ſubſtantię ſeu eſſentiæ dici ratio diffinitiua conſueuit. Quemadmodum cum multæ ſint drachmę argenteæ, aureę, æneę, ſi quis dicat, da mihi drachmam, quãnam petat incertum eſt: at ſi auream adiungat, et dicat, da mihi auream drachmam, tunc fit, ut eam quam accipere cupit, clare diſtinguat. Sic cum multipliciter dicatur ratio, cum dixerit, ratio ſubſtãtię, additione, ſubſtantię, diffinitiuam rationem expreſſit. Ratio igitur iuxta nomen diffinitiua, & quæ eſſentiam explicat rei, quę eſt diffinitio, diuerſa eſſe in unoquoque æquiuoco debet.

Quot modis æquiuoca ſumantur.

Interrogatio.

CVm diffinitionem iam æquiuocorum aſſignaueris, reſtat, ut exemplum horum ſubijcias. Nunquid igitur unus æquiuocorum modus eſt? ut ſi uno eo modo exemplum acceperimus, ſatis ad doctrinam nobis id ſit: an pluribus modis æquiuocum ſumitur? *Reſp.* Plures. *Inter.* Quinam? *Reſp.* Vt a ſupremis incipiamus, duo: quorum unus a fortuna, alter a cogitatione noſtra eſt. qui uero eſt a cogitatione noſtra in plura diuiditur, in æquiuocum a ſimilitudine, a proportione, ab uno, & ad unum: qui quidem æquiuocorum modi omnes ſunt. *Inter.* Sed quodnam eſt æquiuocum a fortuna? *Reſp.* Illud eſt, cum forte fortuna & ſine ulla animaduerſione, ſineque ullo noſtro conſilio res diuerſæ idem nomen conſequuntur: uerbi cauſa, Alexander Priami, et Alexander Philippi filius, qui Macedonum dux fuit. Hæc ſiquidem a fortuna eſſe æquiuoca dicuntur. Reliqui omnes modi a cogitatione noſtra dependent. Nam cum animal rationale mortale hominem appellem, & imaginem hominis intuitus hominem eſſe dicam, perſpicuum ſane eſt me picturam eam nõ appellare hominem forte quadam, ſed propterea quod uiuentis hominis ſimilitudinem præ ſe fert. A cogitatione igitur noſtra eſt, quod et hominem uiuentem, & ſtatuam aut imaginem hominis hominem uocamus. Item cum unitatem principium numeri, punctum principium lineæ, fontem principium fluuiorum, cor animalis principium appellamus, principij nomen conſilio noſtro ex proportione omnibus his æquiuocis commune accommodatur. Quam enim rationem ad numeros unitas habet, eandem & ad lineas punctus, et ad fluuios fons, et ad animalia cor habere conſpicitur. Huiuſmodi autem demonſtrationis ratio ex proportione apud geometras appellatur. Atque iccirco principij et originis nomen inter æquiuoca ex proportione ſumptum eſt. Tertius modus æquiuocorum a cognitione noſtra eſt, cũ ab uno quodam cõmunis diuerſis rebus appellatio exiſtit. ut cum una ſit medicina, ab ea et librum & medicamentum, et ſcalpellum medicum appellare conſueuimus, ſed diuerſa tamen ratione. Nam librum medicum uocamus, quia medicas diſciplinas continet: ſcalpellum uero medicum, eo quod inſtrumentum eſt ad inciſiones ex medica arte adhibẽdas accommodatum: medicamentum autem, quia utile medico eſt ad ſanitatem inducendam. In quibus quidem nomen commune cum ſit, ratio iuxta nomen quo communiter ſingula appellãtur, diuerſa eſt. Ab una igitur medicina omnia hęc medica cõmuni nomine ſunt uocata: quod quidem non ex fortuna accidit, ſed ex cogitatione et conſilio eorum qui hæc primum ita nominarunt. Quartus a cogitatione noſtra modus eſt, cum diuerſa ad unum finem tendentia ab eo communem appellationem ſortiuntur. uerbi cauſa a ſanitate, quem finem ſibi proponit ille qui ſanatur, & cibus, et deambulatio, et lectio ſana ſeu ſalubris nuncupatur. At hunc modum æquiuocorum alij cum ſuperiore qui ab uno dicitur, coniungunt: atque ex duobus unum efficientes: unum æquiuocorum tantum genus conſtituunt, quæ ab uno et ad unum uocentur. alij neque inter æquiuoca, neque inter uniuoca hæc connumerant, ſed in medio utrorumque ſtatuenda cenſent, eo quod diuerſæ res cum ſint, uel eiuſdẽ rationis participatione medicæ communi nomine appellentur, uel eiuſdem ſanitatis acquiſitione communiter uocẽtur ſalubres. *Inter.* Ariſtoteles uero quonam æquiuocorum modo uſus eſt? *Reſp.* Eo qui a ſimilitudine ſumitur: cum dicat, animal et homo, et quod pictum eſt: quid ſit utrunque, in eo quod eſt animal, propriam utriuſque rationem aſſignabit. nam ſi nomini conuenientem rationem aſſignet, aliam alij attribuet. hominem ſiquidem propterea eſſe animal, quia ſubſtantia eſt animata ſenſibilis: quod uero pictum eſt, quatenus ſubſtantiæ animatæ ſenſibilis imago eſt, eatenus eſſe animal dicet.

Quo modo translatio ab æquiuocatione differat.

Interrogatio.

QVoniam unum modum æquiuocorum ex proportione eſſe dixiſti, nunquid etiam ex translatione modus aliquis eſt, qui ſub hunc ex proportione reducatur? an diuerſi modi exiſtimãdi ſunt ex proportione, et ex translatione? *Reſp.* Errarunt quidem multi, quorum unus fuit etiã Atticus, qui unum & eundem æquiuocorum modũ ex proportione et ex transla-

ſlatione eſſe opinabatur, duosque hos in unum confundebat. *Inter.* Plane nobis explica, quid uelis. *Reſp.* Ex tranſlatione id eſſe dico, cum res aliqua nomen quidem proprium habet, ſed de ea tamen alio nomine quiſpiam aliunde ſumpto ac tranſlato abutitur. Tunc enim nulla æquiuocatio eſt. At cum nome nullum aliud habet res, niſi id quo utimur, ęquiuocatio eſt. Exempli cauſa mõtium infimę partes ὑπώρειαι appellãtur, quaſi dixeris ſubmontana, ut inquit Homerus, Submontana Idæ quæ gens habitabat aquoſæ. Has imas montium partes poetę ſępenumero pedes uocant: quemadmodum ubi ait Homerus: omnes nanque pedes Idę quaſſantur aquoſę. Lecti etiam partes quę cubile ipſum ſuſtinent ac fulciunt, pedes nuncupantur. quin etiam menſarum & nauium pedes dicuntur. pedem ratis uſque tenebam, inquit Poeta. Hic igitur neque nauis, neque Idæ pedes æquiuoce fuiſſe appellatos quiſpiam diceret, propterea ꝙ et nauis proprio nomine appellatum habet gubernaculum, & mons ſubmontana. In menſa uero et lecto non ita dici poteſt, quippe cum quæ totum cubile ſuſtentant partes, et quæ menſam ſuſtinent, non alio nomine appellentur, ꝙ̃ pedes, ex proportione quam ad animalium pedes habent. Qua de cauſa ſolum nomen commune eſſe in ęquiuocis dictum eſt. Nam lectorum et menſarum ſuffultrices partes pedum nomen commune habent. ſubmontana et gubernaculum montium et nauium propria ſunt: pedum autem appellatio in his eſt aliunde tranſlata. Quocirca ex tranſlatione dicta eſſe, non æquiuoce aſſerendum eſt Neq; enim dici ęquiuoca ex ſimilitudine ullo modo poſſunt. Quam enim ſimilitudinem ad animalium pedes habere montium imę partes queunt? Eſt igitur tranſlate dictus montis pes, non æquiuoce. Niſi quis diffinitionem æquiuocorum attendendam eſſe cenſeat, ꝙ et montis pars, et hominis pes communi pedis nomine appellentur: ita ut in his quoque nomen commune, et ratio diuerſa conſpiciatur: ſi communiter nomen etiã in tranſlationibus ſtatuamus. Digna itaque inquiſitione res eſt.

Vniuocorum diffinitio.

Interrogatio.

QVo pacto diffiniuerit ęquiuoca Ariſtoteles, quotq; ęquiuocorum modi, et quinam ſint, ſatis declaraſti. Quapropter ad uniuoca etiam tibi tranſeundum iam eſt. *Reſp.* Vniuoca igitur dicuntur, quorum et nomen commune eſt, et ratio ſubſtantiæ iuxta nomen eadem, ut animal. Nam homo et bos communi nomine appellatur animal, et ratio quoque eſt eadem. ſi enim quis aſſignet utriuſque rationem, quid ſit utrique ex ipſis ꝙ animal ſit, eandem rationem aſſignabit. *Inter.* Hanc diffinitionem quæſo explana. *Reſp.* Vniuoca, inquit, dicuntur res eſſe, quorum nomen commune eſt, ſed non ſolum, ut in ęquiuocis, nomen autem etiam hic pro unaquaque orationis parte ſumendum eſſe: e commune, ſicut de æquiuocis diximus, ita eſſe accipiendum, perſpicuum eſt. ſiue autem addatur, et ratio ſubſtantiæ iuxta nomen, ſiue non addatur, ſed dicatur tantummodo, ratio eadem eſt, ſimili modo ſubintellecturos nos eſſe conſtat, et rationem iuxta nomẽ eſſe aſſignandam, et rationem ſubſtantiæ ſeu eſſentiæ: quippe quæ diffinitiua ratio ſit. Quotieſcunq; igitur et nomen commune eſt, et ratio iuxta nomẽ eſt eadem, uniuoce nomine eo res appellantur. Id quod exemplum ſubiunctum declarat. Eſto enim ſubiecti loco homo, bos, et canis: atq; hi quidem communi nomine uocentur animalia. In hac nominis communitate, ſi diffinitionem iuxta nomen aſſignauerimus: iuxta hoc nomen uero .i. appellationi animalis conueniens diffinitio eſt, ſubſtãtia animata ſenſibilis: nam homo et eſt animal, et ſubſtantia animata ſenſibilis: proculdubio non tantum nomen, ſed diffinitio quoq; omnibus erit communis. quippe cum unumquodq; ex antedictis uere ſubſtantia animata ſenſibilis dicatur.

Multiuocorum diffinitio.

Interrogatio.

SEd hæc quidem iuxta Ariſtotelis uerba diffiniuiſti: nam cum ipſe hæc commemorarit, huiuſcemodi diffinitiones etiam attribuit. Quãdo uero in oratione aliqua communicantia nomine tantum differunt, quæ uocantur multiuoca: eorum quænam eſſe diffinitio poteſt? *Reſp.* Hæc ſane: multiuoca ſunt, quorum diuerſa et plura ſunt nomina: ratio uero una atque eadem eſt, ut enſis, gladius, machæra, & in indumẽtis, penula & pallium. Res enim in enſe una eſt, et diffinitio et ratio nomini cõueniens una et eadem: eſt enim ferrum,

anceps

ancops ad animalium occiſionem fabrefactũ: at nomẽ diuerſum & uarium eſt: enſis, gladius, machæra. Atq; hæc quidem oppoſita eſſe æquiuocis uidentur: perinde ac ſi quis ὁμοιόλογα aut ὁμοιόμορφα hoc eſt æquirationalia ea diceret, quippe quæ rationem communem, nomina uero iuxta rationẽ diuerſa haberẽt. Ita ẽt Romani multa habere nomina ſinguli cõſueuerũt.

Diuerſiuocorum diffinitio.

Interrogatio. 20

DIuerſiuoca uero quo modo ſunt diffinienda? *Reſp.* Diuerſiuoca quidem ea ſunt, quæ neq; nominis, neq; rationis participationem ullam habent: ut ignis, aurum, Socrates, fortitudo: quæ quidem hoc pacto diffiniuntur. Diuerſiuoca ſunt, quorum & nomen, & ratio diuerſa eſt.

Denominatiuorum diffinitio.

Interrogatio. 21

QVoniam reſtant denominatiua, quorum etiam Ariſtoteles meminit, ipſa etiam nobis explica. *Reſp.* Denominatiua autem dicuntur, quæcunq; ab aliquo differentia caſu appellationem iuxta nomen habent: ut a grammatica grammaticus, & a fortitudine fortis. *Inter.* Diffinitionem hanc ſimili modo quoque enodes cupio. *Reſp.* Denominatiua, inquit, dicuntur, quæcunq; ab aliquo nomine deducta ab eo appellationem habent. uerbi cauſa, fortitudo de uirtute quadam prædicatur: a fortitudinis autem appellatione transmutato fine no minis fortis aliquis uocatus eſt: qui eiuſdem quidem nominis, hoc eſt fortitudinis appellationem habet, in fine tantum transmutatione quadam facta. tranſmutationem enim hanc caſum uocat. Non enim de ijs hic eum intelligere cenſendum eſt, quos nominum caſus appellare conſueuimus. Fortis igitur cum a fortitudine caſu, hoc eſt tranſmutatione in fine differat, iuxta idem nomen fortitudinis fortis nuncupatur. Hoc ſiquidem eſt quod inquit, appellationem iuxta nomen habent in fine tantummodo tranſmutatam.

Ad denominatiua conſtituenda quot requirantur.

Interrogatio. 22

AD denominatiua conſtituenda quibuſnam eſt opus? *Reſp.* Tribus. *Inter.* Quibuſnam? *Reſp.* Primum opus eſt, ut ſit res a qua fiat participatio: ſecundo nomen, in quo eſſe communicationem neceſſe eſt: tertio ut a nomine tranſmutatione quadam diuerſitas exiſtat. Nam ſi unum ex his tribus deſit, denominatiua non erunt. Fortis enim denominatiuum eſt: nam fortitudo res eſt, cuius eſt particeps: nominis item communicationem habet, cum a fortitudine fortis denominetur. Sed & tranſmutationem habet, cum in fine nominis caſus contigerit. fortitudo enim cum in o terminetur, fortis in is deſinit. *Inter.* Oſtende, quo pacto, ſi unum ex his deſit, denominatiuum exiſtere non poſſit. *Reſp.* Age uero, eſt aliqua mulier quę muſicæ ſcientia prędita muſica dicitur: ubi res quidem inuenitur, cuius eſt particeps, & nomen quoq;, ex quo ipſa muſica appellatur: ſed quia tranſmutatio nulla effecta eſt, ſed & habitus ſcientiæ, & ipſa mulier eodem modo muſica nuncupatur mulier muſica non denominatiue, ſed æquiuoce dicitur. Muſicus uero quia tria hæc in ſe habet, rei participationem, communionem nominis, & tranſmutationem, denominatiuum a muſica eſt. Item uirtute prędítus homo ſtudioſus appellatur. Hic res eſt uirtus, cuius communicationem homo habet: quia tamen nominis neutiquam eſt particeps: ſtudioſus enim & uirtus diuerſa proculdubio ſunt nomina: denominatiue a uirtute ſtudioſus non dicitur. *Inter.* Sed quid in cauſa eſt, cur non potius a ſtudio ſtudioſum dici, quam a uirtute aſſeramus? *Reſp.* Quia ſi ex ſtudio quod homo habet, σπουδαῖος .i. ſtudioſus uocaretur, omnes qui ſtudium aliquod rei alicui adhiberent, ſtudioſos appellaremus. Sed non ita ſe habet res: non qui alicui rei ſtudet, ſed qui præditus tantum uirtute eſt, ſtudioſus uocari conſueuit. Quapropter ſtudioſus, hoc eſt σπουδαῖος deductum quidem a uirtute eſt, ſed non denominatiue.

Propoſitum libri de ſimplicibus dictionibus eſſe, & quæ dicantur cum complexione, & fine.

Interrogatio. 23

CVm de habitudine nominum qua ad res ſpectant, & diffinitionum ſimili modo reſpectu quem ad res ipſas habent, ſatis iam dixeris, deinceps expone de quonam tractare Ari

ſtotelem aſſeras. *Reſp.* Dico igitur, quoniam de ſimplicibus uocibus quę ſignificant res propoſitum libri huius eſt, quatenus eas ſignificant: ſunt autem hæ uoces primo generatim diſtinctæ, & per genera rerum, non per numerum particularium & indiuiduorum ſumptæ. Quoniam inquam propoſitum huiuſmodi eſt, de ſimplicibus dictionibus agere, neceſſe eſſe exiſtimo, ut qualesnam ſint ſimplices uoces doceat. *Inter.* Quid enim inquit? *Reſp.* Ex ijs quę dicuntur, alia cum complexione dicuntur, alia ſine complexione. *Inter.* Cum complexione dici, quidnam eſt, & quot modis accipitur? *Reſp.* Duobus: alia ſiquidem cum complexione ſunt, quæcunque copulatiua coniunctione connectuntur, ut Socrates & Plato: alia uero, cum ſimul ex eo res proferuntur, ꝙ alterum alteri accidit, ut Socrates deambulat. Cum enim deambulatio Socrati accidat, Socrati deambulationem abſque coniunctione ulla in uoce connectentes dicimus, Socrates deambulat. At uero abſq; complexione dicimus, Socrates, aut Plato, aut currit, aut uincit. Hic autem de rebus & dictionibus abſq; complexione, in quot generibus exiſtant, conſideratio eſt. Propterea ꝙ ſicut ſe habent res, ita ſeſe habere quæ ipſas primo ſignificant dictiones, neceſſe eſt.

Quænam ſit minima & maxima generum diuiſio.

Interrogatio. 24

PRopoſitum quidem libri huius eſſe de dictionibus & uocibus ſignificatiuis, quatenus in genera quædam referuntur, ſatis ex te percepi. Sed quonam pacto ipſa hæc & minima diuiſione, qua nulla alia eſt minor, & maxima, qua nulla maior eſt partireris? *Reſp.* Minima quidem generũ diuiſione entia & quæ ea ſignificant uoces, in quatuor diuidemus, ſi entia uel ſubſtantiã uniuerſalẽ, aut particularẽ, uel accidẽs uniuerſale aut particulare eſſe dixerimus. Nulla.n. hac diuiſione euadere minor poteſt. Maxima aũt diuiſio eſt in decem, cum dicimus entia eſſe uel ſubſtãtiam, uel quantitatẽ, uel qualitatem, uel ad aliquid, uel facere, uel pati, uel quãdo, uel ubi, uel habere, uel poſitũ eſſe. Nam & quę hęc ſignificãt ſimplices uoces, totidem generales differentias habebunt. Maior hac partitione nulla inueniri poteſt.

Quo modo minima diuiſio in quatuor exiſtat.

Interrogatio. 25

SEd qui fit, ut minima diuiſio in quatuor euaſerit? *Reſp.* Quia uidelicet ſuprema & prima diuiſio in duo eſt, in ſubſtantiam et accidens, quę utraq; niſi uniuerſaliter & particulariter intelligi non poſſunt. Subſtantiæ enim uel uniuerſaliter proferuntur, ut animal, canis, homo: uel particulariter, ut Socrates, Bucephalus. Simili modo item accidentia uel uniuerſaliter, uel particulariter dici conſueuerunt. Nam ſcientia uniuerſale, Ariſtarchi ſcientia particulare accidens eſt. Quoniam igitur neque ſubſtantia uno ac ſimplici modo dicetur, ſed uel uniuerſaliter, uel particulariter & indiuidue: neq; accidẽs abſolute accidens, ſed etiam ipſum uel uniuerſale eſt, uel particulare: in quatuor membra diuiſio integra efficiatur, neceſſe eſt, licet primo in ſubſtãtiam & accidens exiſtere uideatur. In ſubſtantiã igitur uniuerſalem, & accidens uniuerſale, & in ſubſtantiã particularem, & accidens particulare partitio hęc fit. *Inter.* In his uero quęnã ſunt, quę coire inter ſe nõ poſſint? quę itẽ, quę poſſint? *Reſp.* Neq; ſubſtãtia accidens, neq; accidens ſubſtantia eſſe ullo modo poſſunt. Accidẽs.n. accidere ſubſtantiæ quidem poteſt: ut uero ſubſtantia accidens, aut accidens ſubſtantia efficiatur, eſſe ullo pacto nequit. Vniuerſale item cum particulari, aut particulare cum uniuerſali eſſe ſimul non poſſunt. Poteſt tamen fieri, ut ex uniuerſalibus aliquid de particulari, prędicetur. Quemadmodum de Socrate quæ particularis ſubſtantia eſt, prædicari homo poſſet, quod eſt uniuerſale: Socrates ſiquidem homo eſt. unde quatuor exiſtunt connexiones. Nam uniuerſale uel cum ſubſtantia, uel cum accidente coniunctum duas connexiones facit: & particulare ſimili modo uel ſubſtantiæ uel accidenti additur: atq; inde aliæ duę connexiones conſtituuntur. Subſtantia uero quatenus eſt ſubſtantia, nunq̃ eſſe accidens poteſt: neque accidens quatenus eſt accidens, ſubſtantia. Sic neq; uniuerſale quatenus eſt uniuerſale, unq̃ erit particulare: aut particulare quatenus eſt particulare, uniuerſale unq̃ efficietur. *Inter.* Sed cur addidiſti, quatenus eſt ſubſtantia, & ſimili additione in cæteris quoq; uſus es? *Reſp.* Ea de cauſa, quia licet accidentia eſſe & ſubſiſtere in ſubſtãtia poſſint, quatenus tamen ſunt accidentia, & eſſe accidentia intelliguntur, eatenus eſſe ſubſtantia non poſſunt. Album enim accidere corpori

poteſt

poteſt,quippe cum corpus eſſe album dicamus:album tamen eſſe idem quod corpus non poteſt: ſed corpus ſubſtantia eſt, album accidens. & albedinis eſt particeps corpus, utpote quæ ipſi accidat:idem autem quod corpus albedo non eſt:neq; enim corporis eſt particeps:ſed eſt ipſum id,quod eſt.Ita quoq; uniuerſale,quatenus eſt uniuerſale,nunq; eſſe indiuidui pars ualet.ſed indiuidua ipſa res uniuerſalis particeps fit,utpote quæ in uniuerſali uel ſpecie, uel genere conſiſtat.ut Socrates in ſpecie eſt in homine,in genere in animali. Pars ſiquidem eſt in toto,ſicut manus in corpore. Iccirco adiunctum eſt,unumquodq; quatenus eſt eiuſmodi,eſſe alienum non poſſe.Eſt autem diuiſio hæc maxime generalium,& eorum quę genus aliud ſupra ſe nullum habent.nam neq; ante ſubſtantiam,neq; ante accidens reperiri aliud genus poteſt,quod ſuperexcedat.

Quòd Ariſtoteles pro ſubſtantiæ & accidentis, uniuerſalis item & particularis nominibus, deſcriptionis eorum rationibus uſus ſit.

Interrogatio. 76

SEd quo pacto tu diuiſionẽ ita inſtituiſti,ut ex ijs quę ſunt,alia eſſe uniuerſales ſubſtantias, alia accidentia uniuerſalia,alia ſubſtantias particulares,alia particularia accidentia eſſe diceres:Ariſtoteles uero non iiſdẽ nominibus, ſed alijs diuiſionem ſuam facit? *Reſp.* Quia ipſe loco nominum horum orationes expoſitiuas,& quaſi deſcriptiuas ſumſit. *Inter.* Quo modo deſcriptiuas has rationes aſſignarit,oſtẽde. *Reſp.* Cum duo ſumpſerit,quod in ſubiecto eſt,& quod de ſubiecto dicitur,horumq; negationes adiunxerit,quod non eſt in ſubiecto,& quod de ſubiecto non dicitur: quatuor has orationes ſimplicibus & incompoſitis diuiſionis notionibus accommodauit. *Inter.* Quid eſt hoc,quod inquis,ſimplicibus & incompoſitis diuiſionis notionibus? *Reſp.* Simplices & incompoſitas notiones in hac diuiſione eſſe dico,cum ex ijs quæ ſunt,alia eſſe ſubſtantias,alia accidentia,alia uniuerſalia, alia particularia dicimus. quippe cũ ſimplex quoddam, & compoſitionis omnis expers ſumptum hic ſit.Cum enim dicimus ſubſtantiam, ſimpliciter quid dicimus: ſimili modo etiam cũ dicimus accidens. Necnon uniuerſale & particulare uno ac ſimplici uerbo profertur. At ſi dicamus ex ijs quæ ſunt,alia ſunt ſubſtantiæ uniuerſales, tunc plane complexe loquimur: ſubſtantijs enim uniuerſale annexum eſt.Et item alia ſubſtantiæ ſunt particulares:quippe cum particulare ſubſtantijs ſimili modo adiungatur.Simili modo accidẽtia uniuerſalia,& accidentia particularia:nam tum uniuerſale,tum particulare cum accidente complicatur.Si igitur oſtendamus,quaſnam orationes explanatiuas ſimplicium horũ ipſe Ariſtoteles adduxerit, eaſq; inter ſe connectamus, res perſpicua euadet. *Inter.* Quo modo connectendæ huiuſcemodi expoſitiuæ orationes ſint,declara. *Reſp.* Expoſitiuam & quaſi notionalem accidentis quatenus eſt accidens,orationẽ aſſignauit,in ſubiecto eſſe.Sicut enim ſiue dicamus hominem,ſiue animal rationale mortale, nulla differentia eſt: ita hic nihil intereſt. ſi quid enim eſt accidens, id in ſubiecto proculdubio etiam eſt: & ſi quid eſt in ſubiecto, idem accidens eſſe manifeſtum eſt. Quo pacto autem in ſubiecto dixerit, poſtea demonſtrabo. At uero ſi accidens in ſubiecto eſt in ſubſtantia,nulla dubitatio eſt,quin ſubſtantia diuerſa ab accidente cum ſit,non ſit in ſubiecto. Quare quicquid eſt ſubſtantia,id in ſubiecto non eſt. Item ſi quid eſt uniuerſale,de ſubiecto dicitur:ſi quid particulare,de ſubiecto non dicitur.Atq; ita quidem orationes quatuor ſimplicium nominum exiſtunt: ſubſtantiæ ſane, in ſubiecto non eſſe:accidentis,eſſe in ſubiecto:uniuerſalis,de ſubiecto dici:particularis,de ſubiecto non dici: Sed quia Ariſtoteles non eorum quæ ſimpliciter dicuntur, diuiſionem fecit, ſed compoſitorum & connexorum,ita ut alia uniuerſales ſubſtãtię,alia uniuerſalia accidentia,alia ſubſtantię particulares,& particularia accidentia dicerentur:debemus etiam nos expoſitiuas has orationes compoſitas loco compoſitorum nominum proferre. *Inter.* Age uero dum tibi ego compoſitionem quandam nominum propono,tu orationes conuenientes nominibus ſubinde connecte. *Reſp.* Fac,quod inquis. *Inter.* Ecce iam propono. Vniuerſalis ſubſtantia quo modo orationibus illis quas aſſignaſti,ſignificabitur? *Reſp.* Quia dici de ſubiecto uniuerſale,in ſubiecto non eſſe ſubſtantiam ſignificabat, uniuerſalis ſubſtantia ea dicetur, quæ de ſubiecto dicitur,& in ſubiecto nullo eſt. *Inter.* Accidẽs uero uniuerſale quo pacto manifeſtabis? *Reſp.* Loco uniuerſalis expoſitiuam eius orationem, hoc eſt dici de ſubiecto, Et loco accidentis eſſe in ſubiecto ſumam: & ita compoſita oratio dici de ſubiecto, & eſſe in

ſubiecto erit, quæ accidens uniuerſale ſignificet. *Inter.* Age uero particularem etiam ſubſtantiam compone, eiuſque orationem ſignificatiuam expone. *Reſp.* Ea eſt particularis ſubſtantia, quæ neq; in ſubiecto eſt, neq; de ſubiecto aliquo dicitur. Quatenus enim non eſt uniuerſalis, ſed particularis, dici de ſubiecto non poteſt: quatenus uero eſt ſubſtantia & non accidens, in ſubiecto nullo eſt. *Inter.* Particulare etiam accidens oratione mihi declara. *Reſp.* Quod de ſubiecto cum non dicatur, in ſubiecto eſt. Quatenus enim eſt particulare, de ſubiecto ullo dici nequit: quatenus eſt accidens, in ſubiecto eſt.

De ſubſtantia uniuerſali.

Interrogatio. 27

QVoniam mihi interroganti de notis nominibus, orationes ab Ariſtotele ipſis accommodatas aſſignaſti: uide an etiam econtrario ſi requiram quid ſibi uelint orationes, nota nomina aſſignare ipſis poſſis. *Reſp.* Require. Nam Ariſtoteles omiſſis notis nominibus loco ipſorum orationes tantum poſuit. *Inter.* Dic quæſo, quid ſibi uult quod inquit. Ex ijs quæ ſunt, alia de ſubiecto quędam dicuntur, & in ſubiecto nullo ſunt? *Reſp.* Nihil aliud, quàm ex ijs quæ ſunt, alia uniuerſales ſubſtantiæ ſunt. *Inter.* Vnde hoc colligis? *Reſp.* Ex eo quod oratio quæ ait, de ſubiecto dici, uniuerſale: quæ uero dicit, in ſubiecto nullo eſſe, ſubſtantiam ſignificabat. *Inter.* Exemplum ſubiūge. *Reſp.* Vt homo. *Inter.* Sed quo pacto uno atq; eo quidem ſimplici uerbo hominis orationem compoſitam aſſignaſti? *Reſp.* Quia homo duobus modis dicitur, & ut ſubſtantia, & ut uniuerſale, non autem particulare. *Inter.* Quo modo ex hoc nomine, homo ſubſtantia intelligitur? *Reſp.* Quia homo non eſt in ſubiecto, neque accidens quicq; eſt. *Inter.* Quo pacto uniuerſale percipit? *Reſp.* Quia de ſubiecto de quodam homine dicitur, neq; particulare & indiuiduum quicpiam eſt: ſed de pluribus denuncupatur, quæ diuerſa numero ſunt. Recte igitur etiam Ariſtoteles dixit, hominem de ſubiecto dici aliquo homine, & in ſubiecto nullo eſſe. Quia enim uniuerſale eſt, de ſubiecto aliquo homine dicitur. Nam Socrates & Plato homo dicitur. Homo autem dicitur Socrates, nō quia homo accidat Socrati, ut muſicum & album: ſed quia Socratis ſpecies eſt homo. Quemadmodum quoq; ſi animal de Socrate diceres, id non ut accidens, ſed ut genus diceres. At ſpecies & genera ſubſtantiarum ſubſtantiæ ſunt, ſicut accidentium accidētia. Subſtantiæ uero in ſubiecto non erant. Neq; igitur ſpecies ſubſtantiarum, aut genera in ſubiecto ullo erunt: Sed de ſubiecto de indiuiduis ſubſtantijs dicentur: non tamen in ſubiecto ullo erunt. *Inter.* Sed cur uniuerſalia de ſubiecto dici aſſeruiſti, accidentia uero in ſubiecto eſſe? Quid enim ſibi uult, quod ea dici, accidentia autem eſſe dixeris? *Reſp.* Profundior conſideratio hæc eſt, & maior, quàm ut tibi conueniat. Nam quod accidentia ſint, non ſecus ac ſubſtantiæ, uniuerſalia aūt dici non exiſtat, niſi quantum ad intellectionem noſtrā attinet: illud ſane percipere eorū non eſt, qui introducūtur. Quocirca in præſentia quęſtio hęc omittenda eſt.

De accidente particulari.

Interrogatio. 25

SEd cum ſubiungit, atq; inquit, alia uero in ſubiecto quidem ſunt, ſed de ſubiecto nullo dicuntur, quid ſignificare uelit, mihi explica. *Reſp.* Accidentia particularia. In ſubiecto enim eſſe, accidens, de ſubiecto nullo dici particulare manifeſtat. *Inter.* Huius etiā exemplum ſubiunge. *Reſp.* Subiungam, atq; illud quidem non unum: nam cum ſint nonnulla quæ animæ, alia quæ corpori accidant, ab utriſq; exemplum tibi afferam. Ac primum ex ijs quæ animæ accidunt, ſumatur aliqua grammatica: eſt autem aliqua grammatica, Ariſtarchi ut ita dicamus, grammatica. Ariſtarchi autem grammatica particularis eſt: quæ animę ipſius cum accidat, de ſubiecto non dicitur. eſt enim particularis. Particulare uero cum indiuiduum ſit, de ſubiecto nullo dici poteſt. Atq; hoc animæ accidentis exemplum eſt. Corporis autem accidens eſt quoddam album, quod in ſubiecto quidem eſt in corpore: quippe cum album color ſit, & color omnis in corpore exiſtat: de ſubiecto uero nullo dicitur, cum uniuerſale non ſit, ſed particulare.

De accidente uniuerſali.

Interrogatio. 27

CVm uero infert Ariſtoteles, alia autem & de ſubiecto dicuntur, & in ſubiecto ſunt, quidnam, huiuſcemodi orationum connexione ſignificat. *Reſp.* Nihil aliud profecto, niſi

alia

alia eſſe uniuerſalia accidentia declarat.cum enim ait,alia de ſubiecto dicuntur,uniuerſalia ſignificat:nam de ſubiecto dici oratio erat, quæ uniuerſale explicabat. cum uero inquit, & in ſubiecto ſunt,accidentia manifeſtat.quippe cum ea ſint,quæ eſſe in ſubiecto dicebantur.Inquit igitur,alia uniuerſalia accidentia ſunt. *Inter.* Exemplum affer. *Reſp.* Huiuſmodi eſt ſcientia.Scientia enim cum animæ accidat,ſubiectum animam habet:nam ſubiacet ſcientiæ anima. Vniuerſalis enim ſcientia de particularibus,ut puta grammatica dicitur. Eſt enim genus grammaticæ ſcientia:grammatica autem eſt accidens. eſt itē accidens ſcientia: propterea ꝙ genera & ſpecies accidentium accidentia etiam ipſa ſint.

De ſubſtantia particulari.

Interrogatio.

RElíquum uero diuiſionis membrum exponens,quod nam id eſſe inquit? *Reſp.* Quale id ſit,propone. *Inter.* Alia uero neq; in ſubiecto ſunt, neque dicuntur de ſubiecto. *Reſp.* Hac oratione illud exprimit,perinde ac ſi dicat,Alia autem indiuiduę ſubſtantię ſunt. *Inter.* Exemplo declara. *Reſp.* Eiuſmodi eſt quidam equus, cuiuſmodi erat Alexandri Bucephalas, & quidam homo,utputa Socrates. Nihil enim huiuſmodi neq; eſt in ſubiecto, non enim eſt accidens,ſed ſubſtantia:neq; de ſubiecto dicitur:cum non ſit uniuerſale,ſed particulare.Hęc ſubiunxit,dum orationes ſimplices & ſine complexione,quę ea explicant ac deſcribunt, exponere nobis uellet. Id quod a principio nos ſignificauimus,cum dixerimus de ſubiecto ullo non dici,illud exprimere quod uniuerſale non eſt,ſed indiuiduum,& in numero conſtitutum.Sicut in ſubiecto eſſe accidens, & in ſubiecto non eſſe ſubſtantiā manifeſtabat.Quoniam igitur ſubſtantia cum accidente coniungi non poteſt:Quatenus, inquit,particulare aliquid eſt ſiue ſubſtantia id ſit,ſiue accidens,de ſubiecto nullo dicitur. Si tamen accidens ſit,id quod eſt particulare,in ſubiecto etiam eſſe poteſt. Si uero ſubſtantia ſit particularis,neq; erit in ſubiecto,neq; de ſubiecto aliquo dicetur. Si particulare accidens ſit, de ſubiecto aliquo non dicetur,in ſubiecto tamen erit.

Quid ſit eſſe in ſubiecto, & quot modis dicatur quiſpiam eſſe in aliquo.

Interrogatio.

HOc autem quod in ſubiecto eſſe dicitur, quo modo ſumptum eſt, & quo modo ab Ariſtotele explicatur? *Reſp.* In hunc modum.In ſubiecto,inquit,illud dico,quod in aliquo cum ſit non ut pars, fieri non poteſt,ut ſit ſine eo in quo eſt. *Inter.* Quidnam his uerbis ſibi uult Ariſtoteles? *Reſp.* In ſubiecto illud eſſe inquit, quod in aliquo eſt. Sed quia quod in aliquo eſt,multis modis dici conſueuit, & eſt æquiuocum, alia quoq; afferri in medium debent,ut eſſe in aliquo, quod hic accidenti & ei quod eſt in ſubiecto, attribuit, a reliquis diſtinguatur.Cum igitur multis modis eſſe in aliquo quicpiam dicatur:quod in loco eſt, eſſe in aliquo dicitur:ut in domo, aut in Lycio,aut in balneo,aut in theatro Socrates.Eſt etiā in aliquo quod tanꝗ in uaſe collocatum eſt: ut in poculo aqua,& in urna uinum. In aliquo item eſt,ut pars in toto:quemadmodum manus in toto in hominis corpore eſt.Totum quoq; dicitur eſſe in aliquo,quia in omnibus ſuis partibus conſiſtit.Item ut ſpecies in genere, ſicut in animali homo:quippe cum ſpecies a genere cōtineatur.Et ut genus in ſpecie:eo ꝙ ſpecies participes generis ſint. animal enim de homine dicitur, utpote qui participationem eius habeat.Dicitur etiam eſſe in aliquo quod in fine eſt.In felicitate enim & feliciter agēdo qui eſt finis hominis,omnes res hominis eſſe conſtitutas dicimus. Alio modo quoq; in aliquo quicpiam eſt,cum eſt in dominante;ut cum in rege eſſe negocia aſſerimus. Alio item modo,ut forma in materia,ſicut in ære hominis ſpecies, & in ferro enſis figura,tum in anima ſcientia, & in corpore color. *Inter.* Quot ſignificata eius quod eſt in aliquo enumeraſti? *Reſp.* Nouem. *Inter.* Quænam? *Reſp.* In loco,in uaſe,in toto ut pars,in partibus ut totum, in genere ut ſpecies, in ſpecie ut genus, in fine, in dominante, in materia ut forma. *Inter.* Quodnam ex his nouem ſumitur tanꝗ in ſubiecto? *Reſp.* Illud proculdubio quod ultimo loco enumerauimus,quod ut forma in materia eſt. *Inter.* Qua de cauſa? *Reſp.* Quia ſolæ ſpecies inſeparabiles a materijs ſunt. *Inter.* Nunquid omnium horum nouem mentionem fecit Ariſtoteles? *Reſp.* Minime. *Inter.* Sed quorum? *Reſp.* Duorum tantum,& eius quod in aliquo eſt, ut pars in toto,& eius quod eſt ut in uaſe. Inquit enim, quod

Quo modo odor nunquam ſit ſine ſubiecto.

Interrogatio. 34

AT uero quo modo abſurdum hoc ſit, non uideo, ſi non ſeparari a ſubiecto accidentia dixerimus: cum & odor, & dulcedo a malo ſeparari euidentiſſime percipiantur. *Reſp.* Sed Ariſtoteles non dixit non poſſe fieri, ut ſeparetur. *Inter.* At quidnam? *Reſp.* Fieri nó poſſe, ut abſq; eo ſit, in quo eſt. Aliud igitur eſt ſeparari, & aliud ſine aliquo eſſe. Neq; enim dixit ſine eo eſſe in quo erat, ſed ſine eo eſſe in quo eſt. Nam odor ſeparari quidem poteſt ab eo in quo eſt: ſeorſum autem per ſe eſſe non poteſt: ſed uel corrumpitur atque interit, uel in aliud ſubiectum transfertur: propterea q; fieri nulla ratione poteſt, ut accidens ſine aliquo ſubiecto ſeorſum per ſe eſſe intelligatur. Hoc ſignificauit Ariſtoteles, non q; ſeparari omnino nequeat.

Quid ſit dici de ſubiecto.

Interrogatio. 35

REcte quidem quid in ſubiecto ſit, hac diffinitione explicauit. In ſequẽtibus uero quid docet, ubi inquit: Quando alterum de altero prædicatur, tanq; de ſubiecto? *Reſp.* De ſubiecto illud prædicari de aliquo inquit, quod in eo quod quid ſit, prædicatur: & ſi interrogemur quid ſit ea res, aſſignare cõſueuimus. Exempli cauſa, deambulatio de Socrate prędicat. Sed ſi quid ſit Socrates, aſſignemus, eum eſſe deambulationem nequaq; dicemus. Quare deambulatio non de ſubiecto de Socrate prædicatur. At de Socrate etiam homo prædicatur, dicimus enim Socrates eſt homo. Sed ſi interrogeris, quid ſit Socrates, hominem quoq; eum eſſe reſpondebis. Homo igitur de Socrate de ſubiecto prædicatur. Item grammatica eſſe nomen dicitur. ſed ſi requirat quiſpiam quid ſit grammatica, nomen eam eſſe nullo pacto dices: quippe cum grammaticę eſſentia nomen non ſit: nam ſi eſſet, unuſquiſq; ex nominis participatione eſſe etiam re ipſa grammaticus poſſet. Sed grammatica eſt ſcientia. Iccirco ſcientia de grammatica, ut de ſubiecto dicitur: nomen non dicitur. Quin ipſe hoc prædocuit, cum diceret, quæ de ſubiecto prædicarentur, ea & iuxta nomen & iuxta rationem ſubiecto debere accommodari: quæ uero eſſent in ſubiecto, quantum ad rationem attinet, nunq̃: quantum ad nomen ſpectat, aliquãdo ſubiecto accommodari poſſe. Quapropter quod de ſubiecto prædicatur, illud erit, quod uniuerſalius ſubiecto cum ſit, & nomine & ratione conuenit: hoc eſt uniuoce de eo dicitur. Cuiuſmodi ſunt & ſpecies & genera ſubiectorum, ſiue ſubſtantię fuerint, ſiue accidentia. Nam q; uniuerſale ſit, quod de ſubiecto dicitur, ipſe etiam ſignificauit, cum indiuidua de ſubiecto nullo dici affirmarit. Oportet igitur, ut quod de ſubiecto dicitur indiuiduũ non ſit, & in quid ſit, de ſubiecto prędicetur, Vnde uniuerſalius etiã ſubiecto eſt.

Quo modo cum ſpecies de homine prædicetur, de Socrate dici non poſſit.

Interrogatio. 36

QVid ex his autem euenit? *Reſp.* Quid eueniat, ipſe Ariſtoteles declarat, cum inquit: Quando alterum de altero prædicatur ut de ſubiecto, quæcunq; dicuntur de eo quod prædicatur, omnia de ſubiecto etiam dicentur. *Inter.* Sed quo pacto hoc uerum eſt? Nam homo de Socrate dicitur de ſubiecto: de homine uero non ſolum animal, uerum etiam ſpecies prædicatur: homo ſiquidem ſpecies eſt. Non tamen ſequitur, ut de Socrate omnia prædicentur: ſed animal quidem dici perſpicuum eſt: ſpecies uero de Socrate prędicari nullo modo poteſt. quippe cum Socrates ſpecies non ſit. *Reſp.* Vides quo pacto abſurdum hoc ex eo, euenerit, q; non recte rem perceperis? *Inter.* Sed quo modo intelligi debet, quod inquit, Quæcunq; dę ſubiecto dicuntur? *Reſp.* Non abſolute dixit, quæcunque prædicantur de ſubiecto: ſed cum dixerit, quando alterum de altero prædicatur, tunc quæcunq; de eo dicuntur, quod prædicatur, eadem de ſubiecto etiam dicentur: illud nobis ſignificauit, ut uniuocam prędicationem intelligeremus. Exempli cauſa, animal de homine ut de ſubiecto dicitur: nam & nomen animalis, & diffinitio homini conuenit: animal enim eſt homo, & ſubſtantia animata ſenſibilis. At ſpecies licet quantum ad nomen tantum ſpectat, homini congruat: homo ſiquidem eſſe ſpecies dicitur: non tamen ſiquis de ſubſtantia eius quænam ſit, interrogarit, eum eſſe ſpeciem reſpondebimus, ſed animal. Nam homo ſpecies dicitur, ut ab eo diſtingua

tur, ꝙ non ſit indiuiduum, ſed ex ijs quę cum communicatione quadam appellantur. At cum cõmunicatione dici magis accidens ꝙ̃ ſubſtantiam ſignificat. Accidit autẽ homini hoc non ut a proprio indiuidui, ſed ut a ſimili quod in eo eſt, differat. Nã differt homo a Socrate, quia homo cum communicatione: Socrates uero nulla cum communicatione, ſed indiuidue dicitur. Quatenus igitur cum communitate eſt, ſpecies homo appellatur, & item animal genus: propterea ꝙ ipſis accidit, ut plura complectantur. hominis uero ſubſtantia in quid ſit, prędicatur.

De differentijs.

Interrogatio. 37

POſt hæc autem quænam tradit Ariſtoteles? *Reſp.* De differentijs agit. *Inter.* At quid inquit? *Reſp.* Diuerſorum generum, & quæ ſubalternatæ conſtituta non ſunt, diuerſę ſunt ſpecie etiam differentię: ut animalis & ſcientiæ. Animalis ſiquidem differentię ſunt, ut pedeſtre, & bipes, & uolucre: ſcientiæ uero nulla ex his differentia eſt: quippe cum in eo ꝙ bipes ſit, ſcientia a ſcientia non differat. At ſubalternatorum generum nihil uetat, quo minus eædem differentiæ ſint. nam ſuperiora de inferioribus prædicantur. Quamobrem quæcunque eius quod prædicatur, ſunt differentiæ, eædem ſubiecti etiam erunt. *Inter.* Sed nonne uides ꝙ̃ multa hæc ſint, quæ hic dicuntur? *Reſp.* Video quidem. nam de generibus dictum eſt, quorum alia eſſe inquit diuerſa, alia ſubalternata: necnon diuerſa ſpecie. Dictum item eſt de differentijs, atq; harum alias ſpecie diuerſas, alias eaſdem eſſe ait. *Inter.* Cum de omnibus itaq; his dixerit, quid ſibi uelit oratio eius, declara. *Reſp.* Multis quidem modis & ſpecies & genus & differentia dici conſueuit. ſed de quo nunc agitur, genus illud, eſt quod de pluribus & ſpecie differentibus in quid ſit, prędicatur. ut animal uolucris, pedeſtris & aquatici eſt genus: cum de his omnibus ſpecie inter ſe differẽtibus, ſi quid ſit unumquodq; horum fuerit requiſitum, prędicetur. quid enim ſit unumquodq; ex his aſſignantes animal dicemus. Species uero hic ſumitur ea quæ de pluribus numero differentibus prædicatur. Nam homo cum ſit ſpecies, de pluribus hominibus qui numero tantũ inter ſe diuerſi ſunt, ſi quid unuſquiſq; ſit, ſigillatim fiat interrogatio, prædicatur. Si enim requirat quiſqiam quid ſit homo, accommodate hominem aſſignaueris. Quoniam uero ſæpenumero multæ ſpecies eædem genere cum ſint, differentijs a ſe mutuo diſtinguuntur, ſicut homo, bos, & canis, eadem genere cũ ſint, omnia enim ſunt animalia, differentijs a ſe mutuo ſeparantur: atq; inde efficitur, ut differentia qualiſnam unaquæq; ſpecies ſit, nobis manifeſtet: Nam ut hominem animal rationale mortale, & canem animal irrationale latrabile eſſe cognoſcamus, differentiæ faciunt. iccirco differentia ea eſt, quæ de pluribus ſpecie inter ſe differentibus, in quale nam ſit, prædicetur: ut uolucre differentia cum ſit, de pluribus dicitur, cum de olore, coruo, & aquila prædicetur. *Inter.* Nunquid uolucre eſt: quod unumquodq; animal quale ſit, oſtendit: ita ut differentia qualitatem & generis & ſpeciei manifeſtet? *Reſp.* Minime. Sed cum decem ſint ſuprema genera, in unoquoque prædicamento diuerſa ſunt genera, & ſpecies, & differentiæ. Cuius enim prædicamenti eſt genus, eiuſdem ſunt generis ſpecies, & generis & ſpeciei differentię.

Differentiam non ſemper de pluribus differentibus ſpecie dici.

Interrogatio. 38

CVm dixeris differentiam de pluribus ſpeciebus dici, nunquid rem ita ut ſeſe habet, explicaſti? *Reſp.* Non ita plane, ſed ut plerunque eſſe conſueuit. Reperiuntur enim aliquæ, quæ ſpeciebus adæquantur, ſicut eſt leuitas & grauitas, quarum altera ignis, altera terræ eſt.

Non ſemper ſpeciem de pluribus differentibus numero dici.

Interrogatio. 39

SPecies uero cum aſſignata ſit de pluribus quę in numerum cadunt, nunquid ſemper ita ſeſe habet? *Reſp.* Non ſemper, ſed plerunque. Nam phœnix auis ſpecies cum ſit, non de pluribus numero dicitur, cum ſemper ſola una ſit: ſed ſi modo dicitur, de pluribus non numero, ſed ſucceſſione pluribus dicetur.

Quæ ſint diuerſa genera & ſubalternata.

Interrogatio.

QVidnam ſit genus quod hic ſumitur, quæ ſpecies, quæ differentia, ſatis explicaſti. Reſtat, ut quænam ſint diuerſa, & quæ ſubalternata genera, explanes. *Reſp.* Diuerſa genera appellantur, quæ in diuerſis ſunt prædicamentis. Alia enim ſunt genera ſubſtantiæ, alia qualitatis, alia quantitatis: & aliorum ſimili modo alia. Species item quæ ſub unoquoq; genere ſunt, diuerſæ etiam ipſæ ab alijs ſunt, quæ alij generi ſubijciuntur. Horum igitur generum quæ ita diuerſa ſunt, diuerſæ etiam ſunt differentiæ. Animalis enim quod eſt genus, & ſcientiæ diuerſæ differentiæ ſunt. nam animal e prædicamento ſubſtantię eſt, ſcientia uero e qualitatis. Alię item animalis, aliæ ſcientiæ ſpecies ſunt. Animal enim ab animali in eo differt, ꝙ bipes eſt, aut quadrupes. Scientia uero a ſcientia nequaꝗ in eo diſtat, ꝙ ſit bipes. Atq; hæc quidem diuerſa genera, & ſpecies, & differentiæ ſunt. At ſubalternata genera dicunt, cum aliud genus in eadem prędicamenti ſerie ſub alio eſt. Quemadmodum eſt uolucre animal ſub animali, hoc eſt auis: quod e prædicamento ſubſtantiæ eſt. *Inter.* Adhuc clarius explica. *Reſp.* Ex ijs quæ uniuerſalia dicuntur, alia ſunt genera, alia ſpecies, alia differentiæ. Ex generibus uero & ſpeciebus alię ſunt tantummodo ſpecies, quæ in particularia diuiduntur: alia tantummodo genera, ſupra quæ aliud ſuperius genus non inuenitur. At quæ his interpoſita ſunt, cum ſuperiorum ſpecies ſint, inferiorum uero genera, merito ſubalternata genera eſſe dicuntur. *Inter.* Exemplis hæc dilucidiora nobis redde. *Reſp.* Subſtantia genus eſt tantum ſupremum ſubſtantiarum omnium: quippe cum nullum aliud genus reperiatur, quod ſupra ipſam conſtitutum ſit. Homo uero ſpecies tantum eſt: propterea ꝙ ſub ipſa indiuidua & particulares homines ſubijciuntur. At quæ poſt ſubſtantiam uſq; ad hominem quæ eſt tantum ſpecies, ſunt interiecta, ea omnium quæ antecedunt, ſpecies, omnium quæ ſubſequũtur, genera ſunt. Quemadmodum animal ſpecies eſt ſubſtantiæ, & genus rationalis animalis. Animal uero rationale genus hominis cum ſit, animalis ſpecies eſt. Hæc igitur quæ inter generaliſſimum, & ſpecialiſſimum, ſi ad aliud atq; aliud reſpiciamus, & genera & ſpecies ſunt, ſubalternata genera appellantur. *Inter.* Nunquid igitur ſubalternata propterea ſunt, quia ferri alterum ſub altero mutuo poſſit? *Reſp.* Minime. Fieri enim nullo pacto poteſt, ut cum rationale animal mortale, hoc eſt homo, ſub animali ſit, animal quoq; homini ſubijciatur. Non ſane ob id ſubalternata appellantur, quia idem eiuſdem & ſpecies eſſe & genus queat: ſed propterea ꝙ alterum ſub altero eſt. Nam cum utraq; ſunt genera, & alterum ſub altero non eſt, ea ſubalterna minime ſunt. Sicut animal & ſcientia. cum enim utraq; ſint genera, neq; ſcientia ſub animali, neq; animal ſub ſcientia collocari ullo modo poſſunt. ſunt enim diuerſa, & non ſubalternata. Sunt autem diuerſa quę a ſe mutuo prorſus diſtant, ut ſunt decem genera decem prędicamentorum: quę uidelicet a decem diuerſis prædicamentis manifeſtantur. Horum quidem quæ a ſe mutuo abſunt, ut alterum ſub altero ſtatui nullo modo poſſit, diuerſæ etiam ſunt differentiæ. At ſubalternorum eædem interdum eſſe differentiæ poſſunt. non enim omnium eędem ſunt: ſed fit, ut in aliquibus eædem, in aliquibus non eædem reperiantur.

Quomodo ſubalternorum eædem interdum, interdum non eædem ſint differentiæ.

Interrogatio.

QVo pacto in aliquibus eædem ſint, in aliquibus non ſint, oſtende. *Reſp.* Animal & auis ſubalterna ſunt genera: auis enim eſt ſub animali. ſed animalis differentiæ ſunt rationale & irrationale; quæ eædem eſſe auis etiam nequeunt. ſunt tamen nonnullæ aliæ animalis differentiæ, quæ aui quoque conueniunt. Nam ſi animal ita diuiſerimus, ut alia animalia herbiuora, alia ſeminiuora, alia carniuora eſſe dicamus: eædem auium differentiæ ſimili modo erunt. *Inter.* Qua de cauſa hoc euenit? *Reſp.* Propterea ꝙ animal inter ſuas ſpecies auem etiam continet, ſcientiam uero non continet: neque animalis ſpecies ſcientia eſt. Eius autem quod continet, & eius quod continetur eædem eſſe differentiæ poſſunt. Quod uero non continet, neque continetur, eaſdem differentias habere nunꝗ poterit. *Inter.* Vbi hoc declarauit Ariſtoteles? *Reſp.* Vbi ait: Subalternorum autem generũ nihil uetat, quo minus eædem differentię ſint. tum cauſam ſubiungens, ſuperiora enim, inquit, de generibus prædicantur, quæ ſub ipſis ſunt. Quare quæcunq; eius quod prędicatur, differentiæ ſunt, ſubiecti etiam erunt.

Quænam differentiæ ſuperioris de inferiori omnes, & quæ non omnes prædicentur.

Interrogatio. 42

SEd tu quaſdam animalis differentias eaſdem eſſe etiam auis oſtendiſti. non ita, ut ipſe inquit. Quare quæcunq; eius differentiæ ſunt, quod prædicatur, eædem erunt etiam ſubiecti: Non enim quæcunq; animalis ſunt differentiæ, eædem omnes auis quoq; eſſe reperiunt. Et tamen paulo ante dixerat, nihil uetat, quo minus ſubalternorum generum differentiæ inferiorum etiam ſint: quaſi non omnes inferiorum eſſe poſſent. Nunc uero abſolute, quæcunque, inquit, ſunt eius quod prædicatur, eędem etiam ſubiecti erunt. *Reſp.* Hac de cauſa ut puto, nonnulli fuerunt, qui erratum eſſe locum hunc exiſtimantes legendum aſſererent, non quæcunque eius quod prædicatur ſunt differentiæ, eędem etiam erunt ſubiecti: ſed econtrario, quæcunq; ſubiecti ſunt, eædem eius etiam erunt, quod prædicatur. Ego uero ex eo ꝙ dixit (quaſdam) & poſtea (omnes) ſolutionem dubitationis huius ſumendam arbitror. Si enim non omnes differentiæ eius quod prædicatur, ſubiecti quoque eſſe reperiuntur, ſed quædam tantummodo: poſtea uero omnes eius quod prædicatur, differentiæ, eſſe etiam ſubiecti dicuntur: deueniendum ad differentias nobis eſt, & ſi in ipſis ſpecies fuerit, uidendum in qua ſpecie differentiæ omnes prædicari de ſubiecto etiam poſſint. *Inter.* Apertius declara, quod inquis. *Reſp.* Ex differentijs alias eſſe ſpecificas dico, quibus ſpecificatur, hoc eſt in ſpeciem redigit, & quaſi qualitate quadam afficitur illud quod prædicatur: alias diuiſiuas quibus genus in ſpecies diſpertitur. Vt animatum & ſenſibile, differentiæ ſunt: quæ quidem ſubſtantiæ accidentes ipſam ſpecificant, & quaſi qualitate quadam afficiunt, ita ut in animal euadat. Specificatur ſiquidem, & qualitate afficitur animal animati & ſenſibilis differētię acceſſione: quibus formata ſubſtantia animal effecta eſt. Vnde animal eſſe ſubſtantiam animatam ſenſibilem dicimus. Suntq; hæ differentiæ quæ producunt, atq; abſoluunt animal, ſupraque ipſum ſunt: ut propterea etiam de ipſo pręedicentur. Nam animal & animatum & ſenſibile ſimili modo recte dixeris. Aliæ uero differentiæ ſunt, quæ non ita animal ſpecificant ac formant, ſed in ſpecies tantummodo ſecant, quę inferiores ipſo proculdubio ſunt: atq; iccirco ſingulę prędicari de animali non poſſunt. Cuiuſmodi ſunt, rationale, irrationale: mortale, immortale: uolucre, terreſtre, aquaticum: bipes, quadrupes, reptile: pennatum, impēnatum. Multę ſiquidem ſub animali ſunt differentiæ, quibus & ipſum diuiditur, & quæ ſub ipſo ſunt ſpecies, informantur. Ipſum enim non quibus diuiditur, ſed ſuperioribus ſpecificatur. *Inter.* Si igitur non omnibus differentijs eorum quæ prædicantur ſubiecta uti poſſunt, ſed aliquibus: quænam ſunt illæ omnes, quæ conuenire ſubiectis etiam queunt? *Reſp.* Non omnes quidem animalis differentię de ſubiecto, hoc eſt de homine prędicari poſſe affirmo, ſed omnes tamen ſpecificas poſſe nemini dubium eſt. Sunt autem animalis differentię ſpecificę ſuperiores, hoc eſt animatum, & ſenſibile: quas prædicari de homine licet. ſenſibilis enim & animatus homo eſt. Recte igitur dictum eſt, omnia quæ prædicantur de ſuperioribus, de inferioribus etiam eadem prædicari poſſe. Nam diuiſiuas differentias de animali prædicari non poſſe perſpicuum eſt: ſpecificas uero quia ſuperiores ſunt, poſſe. Quapropter quæcunq; de ſubiecto prædicari poſſunt, poſſunt autem ſuperiora, & ſpecificæ differentiæ: eadem etiam de ſubiecto poterunt prędicari. At quę prędicari nequeunt, ea nullo modo prędicabimus. Sunt tamen nonnullæ ex inferioribus & diuiſiuis animalis differentijs, quas ſubiecto etiam fieri diuiſiuas poſſe oſtendimus.

Diuiſionem in maxima, eſſe enumerationē potius.

Interrogatio. 43

POſteaq; hæc docuit Ariſtoteles, ad quamnam diuiſionem poſtea tranſit? *Reſp.* Ad eam quæ in maiora fit: erat autem in maiora ea, quæ in decem fiebat. *Inter.* Nunquid ea eſt diuiſio? *Reſp.* Minime. *Inter.* Cur? *Reſp.* Diuiſio quidem eſt, cum genus in ſpecies ſecatur. hic uero non unum genus in decem ſpecies diuiditur, ſed decem genera ipſa exponuntur. Vnde enumeratio potius eſt primorum generum, & decem circa prima genera prædicamentorum, hæc quam facit. *Inter.* Quid igitur inquit? *Reſp.* Eorum quæ cum nulla complexione dicuntur, unumquodque uel ſubſtantiam ſignificat, uel quantitatem, uel qualitatem, uel ad aliquid, uel ubi, uel quādo, uel poſitum eſſe, uel habere, uel agere, uel pati.

Deinde ſingulorum exempla ſubiungit, cum ait: ſubſtantiam quidem, ut figura quadam dicam, homo, equus: & ſic deinceps accommodato ad cæterorum declarationem exemplo utitur. *Inter.* Omnes ne hanc in eadem hęc genera enumerationem dictionum concedunt, quæ primo ac principali ratione res ſignificant? *Reſp.* Minime. Athenodorus enim fuit Stoicus, qui libros aduerſus Ariſtotelis prędicamēta conſcripſit: Cornutus item in rhetoricis, ſuis artibus, & in ijs quę ad Athenodorum ſcribit: & alij complures. *Inter.* Nunquid recte contradicunt? *Reſp.* Nequaq̃. *Inter.* Vnde id conſtat? *Reſp.* Inde profecto, q̃ ad omnia fere ipſis reſpondit, cum contra ſcripſerit, & quanto in errore ſint, oſtenderit. *Inter.* Sed quis contradicendi modus eſt? *Reſp.* Triplex. Alij.n. ſuperuacaneam eſſe enumerationem dicebant. Quidam deficere eam aſſerebant. Nonnulli alia pro alijs aſſumpta fuiſſe genera obijciebant. *Inter.* Qua de cauſa autem dixit, eorum quę nulla cum complexione dicuntur, alia ſubſtantiam, alia quantitatem, & cætera quæ ſequuntur? *Reſp.* Quia propoſitum ipſi non fuit, ut de entibus, eiuſq; generibus diſputaret: ſed de uocibus quæ primo res ipſas ſignificant. Quot uidelicet & quæ ſint genera eorũ quę ex complexione non dicuntur. uoces autem & dictiones ſunt, quę dicuntur, non res.

Quę ſint cum complexione, & ſine complexione.

Interrogatio. 44

SEd quænam ſunt differentiæ? *Reſp.* Alia cum complexione dicunt: alia ſine complexione. *Inter.* Quæ ſunt cum complexione? *Reſp.* Quæ ex prędicationibus integris duabus, aut pluribus componuntur. ut homo currit: homo in Lycio deambulat. *Inter.* Sine complexione uero quænam? *Reſp.* Quæ non ita ſeſe habent. ut ęquiuoca omnia ſunt, & uniuoca, & denominatiua. *Inter.* Quæ uero huiuſmodi ſunt, ut famigerat, turpificat, quadrupedat, ſunt ne cum complexione, an ſine complexione? *Reſp.* Sine complexione. *Inter.* Curnam? *Reſp.* Quia nullum ex ipſis ex prædicationibus integris conſtat. *Inter.* Quot ſunt igitur genera quæ ſine complexione dicuntur? *Reſp.* Decem ea, quæ dicta iam ſunt.

Cur nullius ex decem generibus eſſe diffinitio queat.

Interrogatio. 45

SEd quęnam uniuſcuiuſq; horũ eſt diffinitio? *Reſp.* Nullam ipſorũ diffinitionem afferre poſſumus: propterea q̃ diffinitio omnis ex genere cum conſtituatur, ipſa genus ſupra ſe nullum habent: quippe cum generalia maxime ſint. *Inter.* Quid uero afferri de ipſis poteſt? *Reſp.* Exempla & propria: ſicut etiam facit Ariſtoteles, qui cum nunc exempla eorum nobis tradat, poſtea in unoquoq; prædicamento quodnam ſit uniuſcuiuſque proprium inquirit, ac demonſtrat. *Inter.* Sed quo modo exēpla tradidit? *Reſp.* Cum inquit, Subſtantia quidem, ut homo. Qualitas, ut album. Quātita, s ut tria. Ad aliquid, ut pater. Facere, ut uerberare. Pati, ut uerberari. Habere, ut calceatum eſſe. Poſitum eſſe, ut recumbere.

Ex prædicamentorum compoſitione propoſitio exiſtit.

Interrogatio. 46

EX horum uero compoſitione quid conſtituitur? *Reſp.* Propoſitio. *Inter.* Cur? *Reſp.* Propterea q̃ per ſe nullum prædicamentum propoſitio eſt: ſed ex quadā ipſorum cōnexione exiſtit. *Inter.* Quo pacto? *Reſp.* Omnis propoſitio aut uera eſt, aut falſa. Vnumquodq; uero p̄dicamētum p̱ ſe neq; uerũ neq; falſum eſt: cũ imp̱fectũ q̃d ſignificet. *Inter.* Sed quid? Nōne dicere poſſumus, uiuo, deambulo, uel pluit, quę licet complexione careant, non propterea tamen fit, ut aut uerum, aut falſum non ſignificent? *Reſp.* Poſſumus quidem, ſed ea tñ ui ac poteſtate cũ connexione dicta ſunt, licet uoce & pronunciatione ſimplicia eſſe uideantur. Cum enim dicimus uiuo: perinde eſt ac ſi diceremus, ego uiuo: & item pluit, non aliter intelligitur, ac ſi, Iuppiter pluit, dictum eſſet.

DE SVBSTANTIA, ET CVR PRIMVM DE EA DISPVTET.

Interrogatio. 47

SEd quodnā ſit unũquodq; prędicamentũ exēplis ſatis dilucide explicaſti. adhuc tñ ut de ſingulis doceas, illud declara, q̃ de cauſa de ſubſtantia primũ ante al ia omnia

diſſerit? Reſp. Propterea q; ſicut quia reliqua omnia in ipſa ſunt, & ipſa ad exiſtendum indigent, prior eſſe natura declaratur: ita diſputationem quoq; de ea ante alia fieri conſentaneum eſt. Inter. Quid igitur eſt ſubſtantia? Reſp. Diffinitio quidem eius, ſicut diximus, dari ulla non poteſt: exempla uero expoſita iam ſunt. Ipſe autem eiuſmodi ipſi notionem aſſignat, ut non eſſe in ſubiecto dicat: quippe cum alijs generibus nullis ſubiaceat, ſed alia ſine ipſa eſſe non poſſint. Deinde proprium eius inquirit.

De qua ſubſtantia in prędicamentis agatur.

Interrogatio. 48

QVot modis alibi ſubſtantiam appellat? Reſp. Tribus. Nam & materiam, & formam, & compoſitum ex utriſq; ſubſtantiam uocat. Inter. Nunc uero de qua ſubſtãtia agit? Reſp De compoſita. Inter. Nunquid aliarum mentionem ullam facit? Reſp Facit quidem. Inter. Quo modo? Reſp. Cum partes ſubſtantiæ eſſe ſubſtantias inquit. partes autem compoſiti materia, & forma eſt.

Diuiſio ſubſtantiæ in primas & ſecundas.

Interrogatio. 49

HIc uero quas ſubſtantiæ differentias affert? Reſp. Alias eſſe primas, alias ſecundas. Inter. Quænam primæ ſunt? Reſp. Indiuiduæ, Socrates, Plato, atq; huiuſmodi. Inter. Quænam ſunt ſecundę? Reſp. Genera & ſpecies indiuiduarum ſubſtantiarum. ut homo, qui particularium hominum ſpecies eſt: & animal, quod eſt genus. Inter. Sed quænam ſunt, quæ maxime proprie ſubſtantiæ, & maxime, & primæ ſubſtantiæ appellantur? Reſp. Indiuiduæ.

Primæ ſubſtantiæ deſcriptio.

Interrogatio. 50

QVo pacto has Ariſtoteles deſcribit? Reſp. Quæ neq; de ſubiecto dicuntur, neq; ſunt in ſubiecto. Inter. Quid ſignificare his appellationibus uult? Reſp. Cum eas non eſſe in ſubiecto inquit, ſubſtantiam, ut iam diximus, non eſſe accidens oſtendit. Hoc autem commune omni ſubſtantiæ eſt, ſiue prima fuerit, ſiue ſecunda. Cum uero ait, neq; de ſubiecto dicuntur, primas ſubſtautias a ſecundis diſtinguit. Secundæ enim ſubſtantiæ, quæ ſunt genera, & ſpecies, de ſubiecto de primis ſubſtantijs dicuntur. At primę ipſę cum ſubiectę omnibus ſint, de ſubiecto ullo dici nequeunt. Quare cum commune omnibus ſit, in ſubiecto non eſſe, eo a ſe mutuo diſtinguuntur, q; ſecundæ in ſubiecto cum non ſint, de ſubiecto dicuntur: Primę uero & in ſubiecto non ſunt, & de ſubiecto non dicuntur.

Cur indiuidua ſubſtantia maxime proprie, & primo, & maxime ſubſtantia dicatur.

Interrogatio. 51

SEd cur primas ſubſtantias & maxime proprie, & primo, & maxime ſubſtãtias dici aſſerit? Quo pacto id a ſecundis eas diſtinguit? Reſp. Hoc pacto, quia indiuiduæ primo ſubſtantiæ ſunt, propterea q; ipſæ primæ appellantur, aliæ uero ſecundæ. Maxime proprie uero ſubſtantiæ ſunt, quia reliqua omnia partim de ſubiectis his primis dicũtur, partim in ſubiectis ipſis ſunt, hoc eſt cætera nouẽ prędicamenta, quæ ſunt accidentia: ut ſi primæ ſubſtantiæ non ſint, nihil ex cæteris futurum ſit. Verbi cauſa, de homine animal prædicatur, ergo etiam de aliquo homine. nam ſi de nullo ex particularibus dicatur, neq; de homine omnino prędicabitur. Color item, uel aliud aliquod accidens ſi in corpore et in ſubſtantia eſt, proculdubio in aliquo corpore, & in aliqua ſubſtantia quoq; ſit, neceſſe eſt. Si enim in nullo corpore aut ſubſtantia particulari ſit, neq; in corpore, aut ſubſtantia uniuerſaliter erit. Quocirca quia reliqua omnia aut de ſubiectis his primis ſubſtantijs dicuntur, aut in ſubiectis his inſunt: & ſi hæ nõ ſint, aliud quicpiam eſſe non poteſt: merito hæ maxime proprie, & primo ſubſtantiæ uocantur. Inter. Sed cur maxime? Reſp. Quia cũ inter decem genera ſubiectum ſit ſubſtantia, quod maxime eſt ſubiectum, id maxime ſit, neceſſe eſt. At indiuidua ſubſtantia maxime ſubiacet: erit igitur maxime ſubſtantia. Subiacet autem omnibus tam proprijs ſpeciebus et generibus quę de ſubiecta ea prædicantur: q; accidentibus, quæ in ſubiecta ipſa ſunt. Quare & maxime

proprie

proprie, & maxime, & primo ſubſtantia indiuidua ſubſtantia iure appellatur.

Secundę ſubſtantię quę ſint.

Interrogatio. 52

AT ſecundas ſubſtantias quas dixit eſſe Ariſtoteles? *Reſp.* Species & genera. *Inter.* Nunquid ſpecies & genera abſolute omnia? *Reſp.* Nequaquam. *Inter.* Sed quaſnam ſpecies & genera? *Reſp.* In quibus, inquit, ſpeciebus inſunt eæ quæ primo ſubſtantiæ dicuntur: & ipſæ, & ſpecierum harum genera. *Inter.* Sed in ſpeciebus indiuidua quo pacto inſunt? *Reſp.* Cum in iis quæ uniuerſalius dicuntur, ea quę ſunt magis particularia, contineri dicantur: hæ ſpecies quæ indiuiduas ſubſtantias continent, & harum ſpecierum genera quæ ipſas continent, ſecundæ ſubſtantiæ ſunt: ut homo, & animal. In homine enim qui eſt ſpecies, quidam homo eſt: et homo in animali, quod ſpeciei hominis genus eſt. Sunt igitur hę ſecundæ ſubſtantiæ: hoc eſt homo & animal, & huiuſmodi cætera.

Cur genera & ſpecies primę ſubſtantię potius non appellentur, quàm indiuidua.

Interrogatio. 53

SEd ſi quia tolluntur, & non tollunt, propterea primas ſubſtãtias primo & maxime, & maxime proprie ſubſtantias dici aſſeris, et homine qui cõmuniter prędicatur, cogitatione ſublato Socrates etiã quæ indiuidua ſubſtãtia & prima eſt, tollitur: nõne ſpecies eſſe magis ſubſtãtia dicetur? Nam ſimili modo quoque animali ſublato homo & Socrates nõ amplius erunt. Quare cur non prior Socrate homo eſſe debeat, non uideo: cum ſi tollatur, Socratem quoque ſimul tollat, Socrate uero deſtructo non ſimul deſtruatur: adhuc enim remanet homo. Idem fit in animali. Nam ſi animal ſit, poteſt eſſe Socrates. at ſi prorſus tollatur animal, ne Socrates quidem erit. Quid igitur ex his colligitur? Si enim prima ea ſunt, quę ſimul deſtruunt, & non deſtruuntur: animal uero et homo Socratem ſimul deſtruunt, & non ſimul cum Socrate intereunt: quo pacto non fit, ut Socrates prima ſubſtantia non ſit, ſed genera & ſpecies? Quid igitur habes, quod ad dubitationem hanc dicas? *Reſp.* Dico te non recte in hac argumenti concluſione progreſſum fuiſſe. *Inter.* Qua de cauſa? *Reſp.* Quia de Socrate tantum loquendo rationem collegiſti: quo ſublato & homo & animal adhuc remanet. De uno autem tantum loquendum non eſt, ſed ſciendum indiuiduam ſubſtantiam non eſſe unum tantum ex particularibus, ſed omnes particulares homines ſimul, ex quibus homo etiam qui communiter prædicatur, exiſtit: & omnia particularia animalia, ex quibus animalis eius quod communiter prædicatur, notionem concepimus: Quę quidem etiam in cauſa ſunt illis communibus, ut exiſtant. Pręter enim ſingula hæc, neque bouem, neque hominem, neque equum, neque omnino animal licet excogitare. Quod ſi ex particularium horum ſenſu ad cõmune quoddam cogitatione deuenimus, quod nõ amplius hoc quiddam eſſe intelligimus, ſed tale quiddam: fiet proculdubio, ut ſi ſingula hæc animalia de medio tollantur, neque amplius id ſit, quod communiter de ipſis prædicabatur. Voces autẽ ipſæ & dictiones quæ ſignificant res, prius etiam nominandis indiuiduis fuerunt aſſignatæ: poſtea ex his ad communia cogitatione referuntur. Quoniam igitur de dictionibus quæ ſignificant res libri huius propoſitum eſt, dictiones uero rebus primo impoſitæ ſunt, quæ ſenſu percipiuntur, quippe cum primo hæc ſenſui noſtro occurrant: merito has quoque primas eſſe ſubſtantias dixit Ariſtoteles. Vt ſicut primo res quæ ſenſui patent, nominatę ſunt, ſic quantũ ad uoces ſignificatiuas ſpectat, indiuiduæ ſubſtantiæ primæ eſſe ſtatuerentur. *Inter.* Ex hac uero cauſa qua primas ſubſtantias fuiſſe appellatas dicis, nunquid alia exiſtere dubitatio poteſt? *Reſp.* Reprehendi in eo poſſe uideretur Ariſtoteles, quod cum maxime proprie ex ſententia ipſius, & maxime, & primo ſubſtãtiæ dicantur, quæ intelligibiles ſunt, ut Deus, & mens, & ſi modo ſunt ideæ, ipſæ etiam ideę: omiſſis his nunc ſubſtantias indiuiduas quæ in ſenſibilibus rebus conſtitutę ſunt, primas ſubſtantias uocet. *Inter.* Sed quo modo crimen hoc ipſi dilues? *Reſp.* Dicam enim, quia propoſitum ipſi eſt de uocibus quatenus res ſignificant, agere, uoces uero primo ſenſibilibus rebus ſignificandis impoſitæ ſunt: quippe cum ea prima nominauerint homines, quæ uidebant, ſenſuque percipiebant: ſecunda uero ea, quæ licet quantum ad naturam attinet, prima eſſent, ſenſu tamen erant ſecunda: merito ea quæ uocibus prima ſunt nominata, quæ uidelicet ſunt ſenſibilia & indiuidua, primas ſubſtantias eſſe ſtatuit. Nam quãtum ad ſignificatiuas uoces ſpectat,

indiuiduæ ſubſtantię ac ſenſibiles primæ ſunt: quantum uero ad naturam attinet, illę ſunt primæ, quæ intellectu percipiuntur. Hic uero quantum ad uoces ſpectat, quæ res ſignificant, diuidere entium genera propoſuit. uoces autem ſignificatiuæ indiuiduis ac ſenſibilibus ſubſtantijs primo conueniunt.

Quæ ſpecies & genera ſecundæ ſubſtantiæ ſint.

Interrogatio. 54

AT uero cum æquiuoce & ſpecies & genus dicatur, quaſnam hic ſpecies, & genera accipit? Reſp. Quas uidelicet ſecundas eſſe ſubſtantias inquit. Inter. Quo pacto id ſignificauit? Reſp. Cum inquit, in quibus ſpeciebus ſunt indiuiduæ ſubſtantiæ: perinde ac ſi dicat: ne me aliarum ſpecierum genera, aliorum ue indiuiduorum ſpecies, utputa accidentium, dicere exiſtimes: ſed has ſpecies in quibus ſpeciebus indiuiduæ ſubſtantiæ ſunt, & ſpecierum harum genera. Ac quod inquit, exemplo ipſe explicat, ubi ſubiungit: ut quidam homo in ſpecie quidem ineſt in homine: genus autem ſpeciei huius eſt animal.

Cur genera & ſpecies ſubſtantiarum ſecundæ ſubſtantiæ appellentur.

Interrogatio. 55

QVo modo quidem primæ ſubſtantiæ indiuiduæ ſint, ſatis declaraſti. Quocirca ſupereſt, ut de ſecundis agas: cur ſpecies & genera indiuiduarum ſecundæ debeant appellari? Reſp. Species & genera primarum ſubſtantiarum merito ſecundæ ſubſtantiæ propterea dicuntur, quia ſolæ ex iis quæ de ipſis prædicantur, primas ſubſtantias ſignificant. Si enim quid ſit Socrates, quiſpiam aſſignet, ſpeciem & genus proprie aſſignabit: et notiorem reddet rem, ſi hominem & animal eſſe dicat, quam ſi quicquam ex nouem alijs prędicamētis aſſignet. Quicquid enim ex alijs de Socrate prædicarit, improprie erit aſſignatum, ſiue album, ſiue tricubitale, ſiue humidum, ſiue currens, ſiue aliud quicpiam huiuſmodi. Hæ enim prædicationes cum ex accidentibus fiant, præter naturam ſunt, neq; quid ſit ſubiectum, ſignificant, ſed quid ipſi extrinſecus accidat, declarant. Specierum uero propriarum & generum prædicationes accommodatæ tantum ſunt. Quapropter merito poſt primas ſubſtantias ſolæ hæ ſecundæ ſubſtantiæ appellantur. Inter. Aliam cauſam affer, cur ſpecies & genera primarum ſubſtantiarum ſecundæ ſubſtantię uocentur. Reſp. Altera cauſa eſt, quod ſpecies & genera primarum ſubſtantiarum ſimilitudinem cum primis maximam omnium habent. Sicut enim illæ quia omnibus alijs ſubijciuntur, maxime proprie ſubſtantię dicuntur: ita ſpecies & genera reliquis omnibus ſubſtant: quippe cum reliqua omnia, hoc eſt accidentia de ipſis prędicentur. Quemadmodum enim quendam hominem grammaticum, & tricubitalem, & ex alijs accidentibus denominatiue appellare cōſueuimus: ita hominem quoq; & animal abſolute grammaticum & tricubitale dicimus. Secundæ igitur ſubſtantiæ de primis uniuoce prædicantur. In uniuerſum enim quæ de ſubiecto dicuntur, uniuoce dicuntur. cum enim homo de quodam homine de ſubiecto prædicetur, uniuoce prędicatur. Nam Socrates & homo, et animal rationale mortale eſt. At reliqua quæ accidentia ſunt, ratione quidem & diffinitione ſubſtantijs conuenire nullo modo poſſunt: nomine tamen de ſubſtantijs nonnulla prædicantur, ut de corpore album: dici enim album corpus poteſt: nonnulla uero ne nomine quidem conueniunt: albedo enim de corpore dici nequit. Nam corpus color uiſionis diſgregatiuus non eſt.

Species magis ſubſtantia quam genus quo modo ſit.

Interrogatio. 56

QVoniam ſpecies & genera ſecundas ſubſtantias eſſe declaraſti: numquid hæ æquali modo ad primas ſeſe habent? Reſp. Nequaquam. Species enim magis ſubſtantia, quam genus eſt. Nam ſi primam ſubſtantiam aſſignare uelit quiſpiam, propius aſſignabit, ſi ſpeciem, quam ſi genus ſubiungat. Exempli gratia, ſi hominem dicat eſſe, quam ſi animal. Quod uero ei quæ magis eſt ſubſtantia, uicinius accedit, magis ſubſtantia ipſum quoq; eſt. Cuidam uero homini homo uicinius & magis proprium, animal communius eſt. Inter. Aliam cauſam adduc, cur ſpecies magis ſubſtantia, quam genus ſit. Reſp. Quemadmodum primæ ſubſtantiæ, quia alijs omnibus ſubiacent, & reliqua omnia, uel de ipſis, ut de ſubiecto prædicantur, uel in ipſis, ut in ſubiecto ſunt, propterea maxime ſubſtantiæ eſſe dicuntur: ſic ſpecies quoq; ſeſe habet. Sicut enim primæ ſubſtantiæ ad ſpeciem & genus, ita ſpecies ad genus. Et item ſicut primæ

ſubſtantię ad accidentia, ita etiam ſpecies. Subiacet enim ſpecies generi, quod de ipſa de ſubiecto prędicatur: ſic enim genera de ſpeciebus dicuntur. Subiacet etiam accidentibus ſpecies, eſtque quantum ad hoc quoque attinet, ſubiectum. Quapropter hac quoque de cauſa magis ſubſtantia ſpecies eſt.

Neq; ſpecies inter ſe, neq; genera, neq; primæ ſubſtantiæ altera q̃ altera eſt magis ſubſtãtia.

EX ipſis uero ſpeciebus & generibus quæ ſubalterna ſunt, nihil magis ſubſtantia alterum altero eſt, licet dignitate alterum præſtet, alterum deficiat. eo q; ſi quis de quodam homine hominem aſſignet, nihilo magis proprie aſſignaturus ſit, q̃ ſi de quodam equo equũ aſſignet. Eadem in primis ſubſtantijs ratio eſt. Neq; enim quia Socrates Bucephala equo eſt excellentior, propterea magis ſubſtantia Socrates q̃ Bucephalus dicendus eſt.

Da proprio ſubſtantiæ, & quot modis proprium dicatur.

Interrogatio.

SEd hucuſq; quidem de primis ſubſtantijs & ſecundis diſſeruiſti. Reſtat ut proprium ſubſtantiæ exponas: id enim te demonſtraturum es pollicitus, quando ſubſtantiæ nõ poſſe tradi diffinitiones aſſerebas, ſed exempla tantum afferri, & propria. Atq; exempla quidem attuliſti: proprium uero aſſignare adhuc debes. primum igitur, quid ſit proprium, deſcribendum eſt. *Reſp.* Tribus modis proprium dicitur: ex quibus unum eſſe præcipuum aſſero. *Inter.* Tres hos modos expone. *Reſp.* Proprium eſt quod uel omnibus & nõ ſolis, uel ſolis & non omnibus, uel & omnibus & ſolis ineſt: quod quidem ultimum præcipuum eſt. *Inter.* Exempla horum affer. *Reſp.* Dicere enim poſſem hominum proprium eſſe, ut ſint bipedes: ſed omnibus id quidem accidit, non tamen ſolis: nam alia etiam quędam animalia eiuſmodi ſunt. Item grammaticum eſſe, & aurificinam facere hominũ proprium eſt: ſolis enim hominibus ineſt, licet non omnibus. Sed hęc ſane non pręcipue ſunt hominibus propria, ſed illa tantummodo, quę ſicut ſolis, ita etiam inſunt omnibus. Vt riſibile & omnibus et ſolis hominibus conuenit: Quoniam igitur ſubſtantiæ proprium quærimus, id ſiue omnibus acciderit & non ſolis, ſiue ſolis & non omnibus proprium eſſe ſubſtantiæ poterit uideri, ſed re uera tamen non erit. Nam ſolum illud ipſarũ eſt proprium, quod & ſolis & omnibus ipſis conuenit.

In ſubiecto non eſſe non ſolis ſubſtantijs eſſe proprium.

AGe enim ut rem ipſam iam excutiamus, in ſubiecto non eſſe cum commune, & primarum, & ſecundarum ſubſtantiarum ſit, non ſolis ineſt ſubſtantijs, ſed differentijs etiam ſubſtantiarum conuenit, cum etiam ipſæ in ſubiecto non ſint. *Inter.* Sed quo pacto ſubſtantijs cõmuniter ineſſe inquit, ut in ſubiecto non ſint? cum partes ſubſtantiæ quæ etiam ipſæ ſunt ſubſtantiæ, in ſubiecto ſint, in toto: in toto enim proculdubio partes ſunt. *Reſp.* At in ſubiecto eſſe illud diffinitum eſt, quod in aliquo eſt, non ut pars. partes uero ſubſtãtiarum, ut manum et oculum in toto eſſe in corpore, ignorat nemo. Quare accidens in ſubiecto eſſe tantummodo dici debet. partes uero ſubſtantiarum in totis cum ſint ſuis, in ſubiecto nullo ſunt. ſunt enim in toto ut ſubſtantię, non ut accidentia. Commune igitur ſubſtantijs & differentijs eſt in ſubiecto non eſſe. Sed hoc proprium uere non eſt. ſed quod omni & ſoli ineſt, nam cum in ſubiecto eſſe differentijs etiam conueniat, præcipue proprium eſſe non poteſt. *Inter.* Quo modo differentia in ſubiecto non eſt, cum tamen dicatur de ſubiecto? *Reſp.* Quia bipes & pedeſtre, quæ differentiæ ſunt in homine, in eo non ſunt ſicut accidentia: quippe cum ſi ineſſent, ut accidentia, nullo modo de homine & nomine & ratione prędicarentur. At hominem tam nomine pedeſtris, q̃ ratione appellare potes, quæ eſt, quod ut per terram cruribus ingrediatur, idoneum eſt.

Omnia ex ipſis uniuoce dici, non omnibus ſubſtantijs eſt proprium.

IDcirco hoc quoq; commune ſubſtantijs & differentijs eſt, q; omnia ex ipſis uniuoce dicantur. ac ſubſtantijs quidem non omnibus, ſed ſecundis tantum. nam indiuidua ſubſtantia, quia de ſubiecto non dicitur, de nullo uniuoce poteſt prædicari, cum ſubiectum aliud non habeat. De ſubiecto autem prædicari, nihil aliud erat, q̃ uniuoce prædicari. Quapropter ſpecies & genera cum de ſubiecto, de ſecundis ſubſtantijs dicantur, uniuoce de ipſis prædicantur. Si-

ſimili modo etiam differentiæ. Omnes ſiquidem differentiæ de ſubiecto eo prędicantur, cuius ſunt differentiæ: propterea ꝙ differentię indiuiduorum nullę ſunt. Differentia enim illud eſt, quo unaqueq; ſpecies alia ab alia differt, quod uidelicet de pluribus & differentibus ſpecie in quale nam ſit, prędicatur. Generũ igitur & ſpecierum, non indiuiduorum differentiæ ſunt.

Differentiã eſſe qualitatem ſubſtantialem.

Interrogatio.

SI igitur differentia neq; ſubſtantia eſt, ita enim dixiſti, cum non ſit in ſubiecto, quemadmodum ſubſtantia: neq; eſt accidens, quia in ſubiecto non eſt: nihilq; aliud reperitur, quod inter ſubſtantiam & accidens eſſe medium poſſit: omnia enim quę ſunt, aut eſſe in ſubiecto, aut non eſſe in ſubiecto, perſpicuum eſt: omnia uero cum in decem prędicamentis contineantur, aut ſubſtantię ſunt, aut accidentia: ſubſtantiæ in ſubſtantię prędicamento, in reliquis nouem accidentia. Si itaq; neq; ſubſtantia eſt, neq; accidens differentia, quidnam eſſe eam dicẽdum eſt? *Reſp.* Ariſtoteles neq; qualitatem tantum eam eſſe inquit, quia eſſet accidens: neque ſubſtantiam tantum, propterea ꝙ inter ſecundas ſubſtantias fuiſſet connumerata: ſed eam totum hoc qualitatem eſſe ſubſtantialem aſſerit. Vnde etiam non in quid ſit, ſed in qualenam ſit, prędicari conſueuit. *Inter.* Quo pacto differentia ſubſtantialis qualitas ſit, oſtende. *Reſp.* Subſtantiales qualitates ſunt, quæ ſubſtantias explent ac perficiunt. explere autem illa dicuntur, quæ ſi abſint, ſubiecta ipſa corrumpunt. Quę uero ſiue adſint, ſiue abſint, non corrumpunt, ſubſtantialia non ſunt. ut caliditas ineſt & aquæ calidæ, & igni: ſed aquæ non eſt ſubſtantialis, propterea ꝙ licet ſublata ea ſit, frigida effecta aqua non interit. at igni cum ſit ſubſtantialis, cum ab eo recedit caliditas, ipſum corrumpit. Differentiæ quoq; fere huiuſmodi ſunt, ſicut qualitates eſſentiales. Si enim ab homine rationale auferatur, corrumpitur: Si item terreſtre ab eo detrahatur. Quin mortale etiam ſi tollatur, fiet ut in immortale tranſmutatus naturam ſuam amittat. Iccirco in diffinitione aſſumitur differentia, quia ſubſtãtiam atque eſſentiam rei abſoluit, ac complet. At quæ ſubſtantias explent, ſubſtantiæ ſunt. Adde ꝙ accidentia ſubſtantiã non exprimunt, differentia exprimit. Cum enim homo ſit animal, quale is animal ſit, differentię declarant. Sunt igitur ſubſtantiales qualitates differentiæ. Non eſſe ergo in ſubiecto cum omnibus ſubſtantijs inſit, non ſolis ipſis, ſed differentijs etiam ineſt. ac propterea non eſſe eius id proprium poteſt, quod uere & præcipue proprium dicitur.

Hoc quiddam ſignificare non omnibus ſubſtantiis conuenit.

Interrogatio.

ALiud profer, quod proprium ſubſtantiæ eſſe uideatur, non ſit tamen. *Reſp.* Quod hoc quiddam ſignificet. Cum enim dico Socrates hoc quiddam ſignifico. *Inter.* Num quid de omni ſubſtantia dici hoc poteſt? *Reſp.* Minime. Non enim de ſecundis ſubſtantijs hoc quiddam dici ualet, ſed potius tale quiddam. Quippe cum homo & animal non definitam quandam & unam rem ſignificet: quid enim magis Socratem, ꝗ Platonem exprimit, qui hominem dicit? Simili modo ſi animal dixero, ex hac uoce nihilo magis homo ꝗ equus, aut bos, aut canis, aut aliud quodpiam animal intelligetur. Non igitur hoc quicpiam, ſed potius tale quicpiam ſecundis ſubſtantijs congruit.

Quo modo homo & animal qualitatem ſignificent.

Interrogatio.

SEd quid eſt, quod inquit: Non abſolute aũt qualitatem ſignificat homo & animal, quemadmodum album: ſed circa ſuſiſtantiam qualitatem præfinit: cum qualiſnam ſubſtantia ſit, declaret? Nam ut mihi quidem uidetur, album quoq; & nigrum, atq; omnes demum qualitates circa ſubſtantiam qualitatem præfiniunt, cum abſque ea eſſe nequeant, ſed in ipſa inſint. *Reſp.* Non abſolute, inquit, ac ſimpliciter qualitatem ſignificat homo, ſed duo quædam ad minimum: ſubſtantialem enim qualitatem, & communitatem ſubiectarum ſubſtantiarum oſtẽdit. Album uero neq; ſubſtantialem qualitatem, neq; ullam aut hominis, aut bouis, aut lapidis, aut alicuius alterius ſubſtantiæ communitatem ſignificat. Neque igitur ꝙ omnia ex ipſis uniuoce prædicent, proprium eſt, quia non omnibus ineſt ſubſtantijs. indiuiduæ enim de nullo prædicantur. At proprium & ſoli & omni ineſſe debet. Hoc autem cum omni non

inſit,

inſit, ſubſtantiæ proprium non eſt. Dixit præterea hoc quiddam uideri ſignificare ſubſtantiam. ſed neq; id omni ineſt: genera ſiquidem & ſpecies non hoc quiddam, ſed tale quiddam magis ſignificant. Neq; hoc igitur proprium ſubſtantiæ eſt.

Nihil ipſi eſſe contrarium non ſolis ſubſtantijs conuenit, ſed etiam quantitati.

Interrogatio.

QVid igitur aliud præterea inquit? *Reſp.* Nihil ſubſtantiæ eſſe contrarium. id quod inductio manifeſtat: quippe cum neq; Socrati, neq; lapidi, neq; boui, neque alicui alteri ſubſtantiæ contrarium quicpiam reperiatur. *Inter.* Nunquid ſoli hoc ſubſtantiæ conuenit, ut proprium ipſius iam ſit? *Reſp.* Minime. Nam neq; præfinitæ quantitati eſt quicpiam contrarium. duobus enim eſſe contrarium quid poteſt? fortaſſe aliquis tria eſſe dicet: ſed cur magis tria q̃ quatuor, q̃ quinq;, q̃ ſex? Niſi quis, inquit, multum pauco, aut magnum paruo eſſe contrarium dicat. ſed hæc determinatæ quantitates non ſunt, quibus nihil contrariũ eſſe dictum eſt. Tametſi neq; e genere quantitatis fortaſſe ſunt, ſed ex eo quod eſt ad aliquid. Sicut ubi de quantitate aget, demonſtrabit. Quocirca neq; hoc, q̃ nihil ipſi contrarium ſit, proprium ſubſtantiæ eſt.

Non admittere magis & minus non ſolius ſubſtantiæ proprium eſt.

Interrogatio.

QVodnam aliud proprium eius inquirit? *Reſp.* Non admittere ut magis & minus dicatur. id quod tamen non ita abſolute, ſed cum diſtinctione eſt intelligendum. Indiuidua enim ſubſtantia, neq; ſi ipſa ſibi ipſi, neq; ſi alteri indiuiduæ ſubſtantiæ cõparetur, magis eſſe ſubſtantia uel minus poteſt. Neq; quæ eſt in ſpecie & genere ſubſtantia, aut ſeipſa, aut altera eiuſdem ordinis magis aut minus ſubſtantia eſt. *Inter.* Exemplis rem explica. *Reſp.* Socrates cum indiuidua ſubſtantia ſit, non eſt hodie q̃ cras magis uel minus Socrates, aut cras q̃ hodie, aut in dies decem, ſe ipſo magis uel minus ſubſtantia. Neq; etiam Socrates q̃ Plato magis uel minus ſubſtantia eſt. Sed neq; homo in ſpecie uel ipſe ſeipſo, uel altera ſpecie, puta boue, uel equo magis ſubſtantia eſt. In eo enim q̃ eſt ſubſtantia, neq; ſe, neq; altero ſubſtãtia eſſe magis aut minus poteſt. At album & ipſum ſeipſo, & altero eſſe magis album aut minus poteſt. Superius autem alteram altera eſſe magis ſubſtantiam dictum eſt, quando eiuſdem ordinis non fuerint: ſed una indiuidua, altera uel genus, uel ſpecies: uel una ſpecies, altera genus. tunc enim indiuidua magis ſubſtantia q̃ genus uel ſpecies eſt: et item ſpecies magis ſubſtantia q̃ genus dicitur. Sed ſi, ut dixi, indiuiduas indiuiduis, ſpeciales ſpecialibus, & generales generalibus eiuſdem per latitudinem ordinis inter ſe comparemus: nulla magis uel minus ſubſtantia habetur. *Inter.* Nunquid uero hoc ſolius ſubſtantiæ proprium eſt? *Reſp.* Nequaq̃. Nam neq; duplum, ut magis & minus dicatur, admittit: neq; pater. Quid .n. Vlyſſes hodie magis, q̃ cum eſſet in Ithaca, aut e Troia rediſſet, Telemachi pater eſt cenſendus? Non eſt igitur ſolius ſubſtantiæ proprium hoc, ut per ſe conſiderata uel ſeipſa, uel alijs conſortibus magis uel minus ſubſtantia dici poſſit.

Proprium ſubſtantiæ vt vna & eadem numero cum ſit, ſuſceptrix ſit contrariorum.

Interrogatio.

SEd quid maxime ſubſtantiæ proprium eſt? *Reſp.* Illud ſane, q̃ cum una & eadem numero ſit, cõtrariorum eſt ſuſceptrix. Vt Socrates unus et idem numero cum ſit, ſanitatis et morbi: & eadem anima prudentiæ & imprudentię eſt capax. *Inter.* Sed quid? nonne oratio etiam una cum ſit numero, contrariorum eſt ſuſceptrix, cum aliquando uera, aliquando falſa efficiatur? Verbi cauſa, Dies eſt, nonne hæc oratio aliquando falſa eſt, aliquando uera? nunquid igitur oratio eſt ſubſtantia? *Reſp.* Non ſane. *Inter.* Sed de quo prædicatur? *Reſp.* De quantitate proculdubio. *Inter.* Non igitur hoc proprium ſubſtantiæ uidetur, ut contrariorum ſit ſuſceptrix. Quo pacto ergo ſubſtantiæ eſſe proprium dicitur? *Reſp.* Quia uidelicet ſubſtantia dum contraria admittit, ipſa afficitur: oratio nihil quicq̃ afficitur. *Inter.* Quo pacto? *Reſp.* Quia Socrates dum interdum ualet, interdum ægrotat, in ſe ipſe mutationem admittit oratio autem, ut puta, dies eſt, modo uera eſt, modo falſa, non ex mutatione ſui, ſed rei ipſius de qua dicitur. Ipſa enim oratio nihil immutata modo uera, mo-

do falſa eſſe reperitur. *Inter.* Obiectionem quidem diſſoluiſti: ſed cum proprium ſit quod omni & ſoli conuenit, ſoli & omni ſubſtantiæ hoc ineſſe oſtende. *Reſp.* Soli quidem hoc ineſſe demonſtrare iam poſſum: omni uero, fortaſſe etiam potero.

Solius ſubſtantiæ proprium, vt ſuſceptrix ſit contrariorum.

Interrogatio.

SEd age ſoli hoc ineſſe demonſtra. *Reſp.* Nihil ex alijs rebus inueniet qſpiam, quod unum & idem numero permanens admittere in ſe contraria queat, niſi ſolam ſubſtantiam. Nam licet actionem aliquãdo honeſtam eſſe, aliquando turpem dicamus, ea tamen non una & eadem numero eſt: ſed quæ uel temporibus diuerſis, uel alio atq; alio modo facta fuerit. Subſtantia uero non eſt alia, ſed una & eadem cum permaneat, bona & mala efficitur.

Quo modo omnis etiam ſubſtantiæ ſit proprium, vt ſuſceptrix ſit contrariorum.

Interrogatio.

QVod quidem in ſola indiuidua ſubſtantia hoc ſit, ſatis patet. ſed ſi in omni etiam ineſſe demonſtraueris, id propriũ ſubſtantiæ eſſe proculdubio exiſtimabimus. *Reſp.* primum quidem illud ſcias, demonſtrari in æternis id non poſſe. Neque enim cœlum quod ſemper mouetur, & eſt ſubſtantia, ſtare unq; ualet. ſtationi autem motio contraria eſt. Quocirca de æternis ſubſtantijs ſermo nobis in præſentia non erit: quippe cum uniformes eę ſint, & plerunque minime idoneę, ut contraria ſuſcipiant. Quin etiam ignis corruptibilis cum ſit, caliditatis quidem eſt capax, ſed nõ frigiditatis. & nix quoq; frigiditatis, non caliditatis ſuſceptrix eſt. Aqua item humida cum ſit, ſiccitatis ſemper eſt expers. Quamuis ad hæc dicere poſſet Ariſtoteles ſe ſubſtantiam contrariorum eſſe ſuſceptricem aſſerere, hoc eſt, ſuſcipere quidem contraria poſſe, non tamen eſſentiam ſuam habere in contrarijs poſſe. ignem uero caliditatem non ſuſcepiſſe, ſed in ſubſtantia ſua eam habere: ita ut admittere ea non ualeat, quæ habet, ſed aliquid quod extrinſecus ſit. Nam aqua etiam, quia in caliditate ſubſtantiam ſuam non obtinet, frigiditatis & caliditatis eſt capax. at humiditatem ſicut terra, admittere nullo modo poteſt: propterea ꝙ in ſubſtantia eius humiditas eſt. In ſubſtantia uero terræ non eſt humiditas: unde admittere etiam ſiccitatem poteſt. Cœleſtia quoq; contrarietatem non admittunt, quæ ſubſtantiali eorum qualitati oppoſita ſit. Vnde neq; qualitates hæ abſolute ſunt, ſed ſubſtantiales qualitates. Quapropter ſubſtantiæ qualitatum earum ſuſceptrices ſunt, quæ præter eas ſunt, quæ ſubſtantias explent & abſoluunt. Ac ſubſtantiæ quidem, quæ unum numero ſunt, per uices contrarietates quæ extrinſecus ſunt, admittunt: quæ quidem contrarietates non aliunde ſunt, ꝙ ex nouem generibus. Sicut uero una numero, id eſt indiuidua ſubſtantia hoc modo afficitur, ſic etiam ſecundæ. ſi enim Socrates eſt prudens, aut imprudens, homo quoq; prudens aut imprudens erit, nec non animal ſimili modo: propterea ꝙ Socrates & homo & animal eſt. Quatenus igitur & homo, & animal ſubſtantia eſt, eatenus etiam ipſa contraria poſſunt admittere. Quatenus uero ſunt uniuerſalia, non ipſa admittunt, ſed quæ ſub ipſis ſunt. Sicut enim color, neque albus eſt, neque niger, ſed ſub ipſo album & nigrum eſt: ſic homo quatenus eſt commune quid, & animal quatenus commune, neque prudens, neque imprudens, neque ægrotãs, neq; ualens eſt: ſed quæ ſub ipſis ſunt, & prudentia prędita ſunt, & imprudentia, & ęgrotant, & ualent. Quatenus tamen & homo & animal ſubſtantiæ ſunt, contraria ſuſcipere per uices poſſunt. Quippe cum quatenus eſt ſubſtantia, excogitari homo poſſit, qui contrariarum qualitatum ſit capax. Simili modo etiam animal. Vtrunque enim unum & idem permanens ſubſtant. At color quatenus eſt color, idem & niger, & albus fieri ne mente quidem concipi poteſt: ſed quod colori ſubiacet corpus, nigrum & albũ uiciſſim ſuſcipit: qui uero non permanet color, nigrum & album minime admittit: ſed ſimul atque excedit album, ipſe etiam interit: & ſimul ac nigrum accedit, ipſe quoque aduenit. Non enim permanet color, ut abire album ex eo, & ad eum accedere nigrum ualeat. Spectandum igitur illud eſt, an homo & animal permaneat, & contraria uiciſſim admittat. Quapropter commune omni ſubſtantię eſt, quatenus eſt ſubſtantia, ut contrariorum per uices ſuſceptrix ſit. Quin etiam ſolius eius proprium eſt: quæ uidelicet admittere mutationem poteſt: non eius quæ immutabilitatem qualitatum in eſſentia ſua obtinet.

DE QVANTITATE.

Cur poſt ſubſtantiam primo ſubſequatur.

Interrogatio.

SED de ſubſtantia quidem ſatis hæc a te dicta nunc ſint. cur uero quantitatis & non qualitatis prædicamentum poſtea ſubſequitur? *Reſp.* Quoniam unũquodq; ſimul atq; eſt, uel unum eſt, uel multa. Vnum autem uel multa quantitatis eſt. Non tamen ſimul atq; eſt unumquodq; uel qualitas eſt, uel ad aliquid. Quę enim ſunt quanta, numerabilia ſunt. corpus ſiquidē, ut ſit corpus, trifariam eſſe dimetitum debet: ut autem ſit quale corpus, tunc uel album uel nigrum ſit, neceſſe eſt. Prius autem eſt proculdubio corpus, ꝙ ſit qualitate aliqua affectum. *Inter.* Habeſne aliam cauſam, quam afferas cur poſt ſubſtantiam quantitas, & non aliud prædicamentum collocatum ſit? *Reſp.* Habeo. *Inter.* Quamnam? *Reſp.* Eam ſane: ꝙ pleraq; quæ ſubſtantię inſunt, quantitati magis ꝙ alijs generibus ineſſe conſpiciunt. cuiuſmodi eſt ꝙ neq; contrarietatem admittat, neq; id ut magis & minus dicatur. Hęc enim & ſubſtantiæ inſunt, & quantitati. Adde ꝙ ſi qualitatem, & cętera quæ in alijs prædicamentis ſunt, a ſubſtantia detraxeris, & quantitatē ſolam reliqueris, exiſtere adhuc ſubſtantia poteſt. At ſi ſubſtantiæ quantitatem penitus eripias, tunc neq; continuum, neq; diſtinctum numero quicpiam amplius remanebit. Deniq; quantitas propius ꝙ reliqua accidentia ad ſubſtantiam accedit.

Quantitatis diuiſio: & q, eiuſdem rei multæ eſſe diuiſiones poſſint.

Interrogatio.

QVotnam ſunt differentiæ quantitatis? *Reſp* Duæ. *Inter.* Quænam? *Reſp.* Altera eſt continua, altera diſtincta ac diſcreta. *Inter.* Cum uero poſt hanc diuiſionem, inquit: alia ex habentibus poſitionem inter ſe partium quæ in ipſis ſunt, alia ex non habentibus poſitionem conſtant, cuiuſmodi hanc diuiſionem facit? *Reſp* Idem denuo partitur. Idem enim, hoc eſt, quãtitas alio atq; alio modo diuiditur. Nihil .n. uetat, quo minus eiuſdem rei ſi alio atq; alio modo conſideretur, diuiſiones eſſe plures poſſint. *Inter.* Oſtende quo pacto hoc in alio etiam prædicamento efficiatur. *Reſp.* Oſtendam. animal nanq; in immortale & mortale diuiditur: & item in rationale & irrationale: necnō in pedatum & impedatum: Quin etiam totum denuo in uolucre, & pedeſtre, & aquaticum ſecari poteſt. Sic etiam quantitas cum in continuam & diſcretam prius ſit diuiſa, rurſus alia aggreſſione diducit̃ in ea quæ ex habentibus poſitionem partium inter ſe, & ex non habentibus conſtant. *Inter.* Sectiones in quas diuiſit, explana. *Reſp.* Quantitatem aliam eſſe diſcretã, aliam continuam dixit.

Diſcreta quantitas quænam ſit.

Interrogatio.

DIſcreta quęnam eſt? *Reſp.* Ea inter quam interijci nihil poteſt, quod quaſi uinculum cognatas quantitates inter ſe contineat. Dicere etiam in hunc modum poſſumus: diſcretam quantitatem eam eſſe, in qua communem aliquem terminum ſumere non ualemus, ad quem partes inter ſe cohereant. In quinq; enim numero non eſt ſola unitas, quæ duo & duo utrinque adiacentia connectat. nam neq; ipſa duobus utrinq; connexa eſt. ſi enim eſſet annexa, quidnam eſſet id quod annecteret, inueniri poſſet. Ex diſcretis autem quantitatibus numerus eſt.

Oratio diſcreta quantitas eſt.

Interrogatio.

NVnquid ſolus numerus eſt, qui inter diſcretas quantitates referatur? *Reſp.* Minime. Nam oratio quoq; diſcreta quantitas eſt. *Inter.* Quænam oratio? *Reſp.* Non ea ſane quæ in mente noſtra etiam tacentibus nobis ineſt: quæ uel operatio, uel affectio mentis noſtræ eſt. Sed neq; id quod ex oratione ſignificatur, quatenus ſignificatur, eſſe quantitas poteſt. Sed ea tantum eſt quantitas, quam pronunciamus. *Inter.* Quonam pacto? *Reſp.* Oratio omnis ex nominibus & uerbis compoſita eſt, & cęteris, quę eſſe partes orationis dicuntur.

hæc autem omnia ex ſyllabis conſtant. Syllabæ uero uel longę uel breues ſunt. Ac longę quidem ad breues ita ſeſe habent, ſicut duo ad unum. Vnum autem & duo eſt numerus. at numerum eſſe quantitatem diſcretam dictum iam eſt. Quocirca etiam ſyllabæ, ſimili modo erunt. Sed oratio ex ſyllabis conſtat. Quod autem ex aliquibus conſtat, eiuſmodi eſt, cuiuſmodi ea ſunt ex quibus conſtituitur. Quantitas igitur ẽt oratio, & diſcreta quantitas eſt. *Inter.* Quam ob cauſam? *Reſp.* Si enim ea eſt diſcreta quantitas, in qua cõmunem terminum partium inuenire non licet, & in qua ſumere commune quicꝙ nõ poſſumus, quod partes inter ſe connectat: & nihil accipere ualemus, quod ſyllabas inter ſe coniungat: diſcreta profecto quantitas & ſyllabæ & oratio erit. Exempli cauſa Socratis nomen ſumamus. Quid quæſo in eo eſt, quod / So / ſyllabam ad / cra, & cra / ad / tes / applicet, & cõnectat? Nihil ſane reperiri poteſt, quod id faciat. nam ſignificatum non eſt, cum etiam blytiri uox quæ nihil ſignificat, tribus ſyllabis conſtet. Quantitas igitur diſcreta oratio eſt.

Continua quantitas quęnam ſit.

Interrogatio.

QVænam ſit diſcreta quantitas, ſatis declaraſti. Quocirca quænam ſit continua, explica. *Reſp.* Continuam eſſe eam aſſero, quæ contrario modo affecta eſt, q̃ diſcreta. illa enim nihil habebat, quod partes eius inter ſe colligaret: continua habet communem terminũ, quo inter ſe partes connectuntur: ſicut in linea, quæ longitudo eſt carens latitudine, partes inter ſe mutuo connexæ conſpiciunt̃. unde etiam cum pars mouetur, totum etiam ſimul moueri neceſſe eſt. Id quod nullo modo in diſcreta reperitur. nam ſi tritici plenus modius ſit, non fit propterea, ut uno grano attracto, reliquum etiam triticum ſequatur. ſi una pars tamem grani moueatur, moueri totum granum, eo ꝙ partes eius inter ſe cohęrent, neceſſe eſt. Linea igitur quantitas continua eſt.

De ſuperficie.

Interrogatio.

HAbeſne aliud quantitatis continuæ exemplum quod afferas? *Reſp.* Habeo. *Inter.* Quodnam? *Reſp.* Superficiem. *Inter.* Sed quo pacto continua quantitas ſuperficies eſt? *Reſp.* Quoniam linea eſt quæ ſuperficiem ſecat. Qua parte uero ſuperficies ſecatur, ea parte communis terminus fit linea quæ eſt cogitatione concepta, perinde ac ſi ſuperpoſita eſſet, qua partes ſuperficiei inter ſe connectuntur. Huiuſmodi enim lineam ſi inter ambas partes exiſtere re ipſa cogitatione fingeres, ea eſſet quæ totum ſecaret. cum uero non ſecet, alterius partis tanꝙ finis, alterius tanquam initium conſiderata terminorum communicatione utraſꝙ inter ſe connectet.

De corpore.

Interrogatio.

NVnquid aliud exemplum reſtat continuæ quantitatis, cuiuſmodi eſt linea et ſuperficies? *Reſp.* Sane quidem. *Inter.* Quodnam? *Reſp.* Corpus: quod etiam ipſum, & quantitas eſt, & continuum: quantitas, quia dimetitum trifariã eſt. continuum uero eo ꝙ partes ad communem terminum coniunguntur, quæ eſt quaſi ſuperficies, quæ inter ipſas partes interiacet. *Inter.* Cur dixiſti, quaſi ſuperficies? *Reſp.* Quia ſuperficies terminus quidem corporis eſt, ſed non pars. *Inter.* Inter partem & terminum quid interſit, ſcire cupio. *Reſp.* Ea eſt differentia, ꝙ ex partibus totum conſtat: ex terminis conſtitui nihil poteſt. quippe cum neꝙ linea ex punctis conſtituatur: ſed terminetur quidem ipſa in punctum: punctus uero pars eius minime ſit: neꝙ ſuperficies ex lineis cõſtitui poſſit: ſed partes ſuperficiei ſint ſuperficies, ipſa uero lineis terminetur: neꝙ corporis partes ſint ſuperficies, ſed corpora. Corpus enim ipſum ſuperficies terminant. Superficies igitur quæ inter partes corporis mente concipitur, non eſt proprie ſuperficies, ſed cogitatione tantum ficta. Nam ſi re uera eſſet, corpus ſecaret, et corporum terminus efficeretur. Qua parte autem ſecatur, ſi ſuperficiem excogites finem alterius partis, alterius initium eſſe: efficietur, ut cõmunis terminus partium corporis ſuperficies ſit: quæ quidem re uera non ſit, ſed mente conſideretur.

De loco

De loco quomodo ſit quantitas continua.

Interrogatio.

NVnquid hæ ſolæ continuæ quantitates reperiuntur? *Reſp.* Minime. Sed præter has ſunt etiam & locus, & tempus. *Inter.* Quo pacto locus eſt quãtitas, & quantitas continua? *Reſp.* Quia locus circa corpus conſideratur, & corpus ipſum conſequitur, quatenus corpus corpus eſt. at corpus quatenus eſt corpus, trifariam eſt dimetitum. Locus igitur etiam quatenus corporis eſt locus, dimetitus trifariam erit. *Inter.* Sed quo modo eſt continuus? *Reſp.* Qua ratione corporis partes quod in loco aliquo eſt, ad communem quendam terminum coniunguntur: eadem ratione loci quoq; partes, quæ corporis partes continent, ad communem quendam terminum connectentur: atque ad eum quidem, ad quem etiam corporis partes iunguntur.

De tempore, quomodo ſit quantitas.

Interrogatio.

AT tempus quo modo quantitas eſt? *Reſp.* Quantitas eſt, quia in diſtantia conſideraẽ: & quantitate etiam quadam numeri, horarum uidelicet, & dierum, ac noctium, mẽſium item, & annorum menſurari conſueuit. Continua uero eſt quantitas, quia quod nunc eſt, præteritum cum futuro coniungit: quod quidem ſicut futuri initium, ita præteriti finis eſt. *Inter.* Quo pacto hæc expoſuit Ariſtoteles? *Reſp.* Cum deinceps lineam, ſuperficiem, & corpus enumeraſſet, poſtea ſubiunxit: Item pręter hęc tempus & locus. *Inter.* Sed cur hoc pacto expoſuit? *Reſp.* Quia uidelicet linea & ſuperficies unitę corpori quodam modo ſunt. Terminus ſiquidem ſuperficiei eſt linea, linęę punctus, corporis uero ſuperficies. At locus corpori unitus non eſt, ſed extrinſecus conſequitur: tempus item ſimili modo nullam cum corpore coniunctionem habet.

Quæ ſint ea quæ poſitionem partium habeant, & quæ non habeant.

Interrogatio.

QVamnam aliam quantitatis diuiſionem facit? *Reſp.* Quam diximus: ꝙ uidelicet alia ex habentibus poſitionem inter ſe partium quæ in ipſis ſunt, conſtent: alia ex non habentibus. *Inter.* Sed quid eſt, quod ita inquit? *Reſp.* Rurſus in alias ſectiones totam quantitatem diuidit, in hunc modum: Ex quantitatibus alię ſunt, quæ ex partibus poſitionem inter ſe habentibus, alię, quę ex non habentibus poſitionem conſtant. *Inter.* Quid ſit habere poſitionem, & non habere explica. *Reſp.* Tria conſiderari in ijs debent, quæ poſitionem habent: locus, ubi poſitæ partes ſunt: partes ipſæ, quæ non euaneſcant: mutua partium continuitas. Si enim aliqua ex his deſint, habere quidem ordinem poterunt, ſed non poſitionem. Verbi cauſa, decem uaſa alicubi in ſolo poſita ſunt, ita ut primum hoc, illud ſecundum, & cætera deinceps, & unum hic, aliud illic collocatum eſſe oſtendi queat, & nõ interierint partes, ſed remaneant: quia tamen partes mutua connexione inter ſe non cohęrent: habere ordinem, non poſitionem dicentur. Item in aqua quæ ex clepſydra deſtillat, licet continuatæ inter ſe partes ſint, quia tamen non remanẽt, ut monſtrari queant, ſed ſimul atq; e foramine exierint, ſtatim intereunt, hæ inter ſe ordinem habent, non poſitionem. Atq; in diſcretis quidem quantitatibus poſitio non eſt, ſed ordo tantummodo, ſicut in numeris: quo fit, ut prius duo, ꝗ̃ tria eſſe dicantur. In partibus uero orationis ne ordo quidem reperitur. Cur enim magis ba ſyllaba, ꝗ̃ be aut pſe prior eſt exiſtimanda? Tametſi etiam ipſa ordinem quendam habet, quem tu uidelicet proferendo uerbo ſyllabis exhibueris: quippe cum uerbum ſimile ijs ſit, qui diſtinctas inter ſe urnas componunt, ita ut alias in primo, alias in ſecundo uerſu collocẽt: non ſecus ac militum ordines in bello diſponi conſueuerunt. In linea autem, & ſuperficie, & corpore, & loco poſitio quædam eſt, tam quia poſitæ alicubi partes ſunt, ꝗ̃ quia remanent, & inter ſe mutua connexione coniunctæ ſunt. At in tempore propterea ꝙ partes eius non remanent, ordo tantum eſt, non poſitio. In fluuio etiam dum fluit, et mari commiſcetur, ſuperficies aquę quę commiſcenda eſt, & mari appropinquat, quia non ſtat, ſed mouetur, poſitionem non habet. Nam etiam motus licet continuus ſit, poſitionem non habet: propterea ꝙ tempus quod ei superuenit, continua quantitas eſt, & poſitionem non habet. Motus autem ipſe quantitas non eſt, ſed

quantitatis particeps,ſicut poſtea demonſtrabitur. Ex prima igitur diuiſione efficiebatur, ut quinq; eſſent continua, linea, ſuperficies, corpus, tempus, locus: diſcreta autem duo, numerus & oratio. Ex ſecunda uero quatuor exiſtunt, quæ ex poſitionem habentibus partibus conſtent: linea, ſuperficies, corpus, locus: & tria, quæ ex non habentibus poſitionem conſtituãtur: numerus, oratio, & tempus: ex quibus duo habent ordinem, numerus & tempus. nam oratio quodam modo habere, & quodam modo non habere eum uidetur.

Quantitates ex accidenti quæ ſint.

Interrogatio.

NVnquid ſolæ hæ ſunt quantitatis ſpecies? *Reſp.* Principali quidem ratione hæ tantum ſunt: ex accidenti tamen aliæ quoq; reperiuntur. *Inter.* Quid eſt hoc quod inquis, principali ratione, & ex accidenti? *Reſp.* Principali ratione appello, quod per ſe eiuſmodi eſt: ex accidenti uero quod ex alio id habet. Verbi cauſa, omnia quæ expoſuimus ſuperius, principali ratione quantitates ſunt: album autem ex accidenti. Album enim multum dicitur, non quatenus eſt album, ſed ex eo ꝙ ſuperficies in qua ineſt, multa eſt. Homo item procerus dicitꝰ non quatenus eſt homo, ſed quatenus ipſius longitudo eiuſmodi eſt. *Inter.* Eſſe ne hæc etiam poſſet quantitatis differentia? *Reſp.* Poſſet. *Inter.* Quo pacto? *Reſp.* Quantitas alia principali ratione, alia ex accidenti eſt. *Inter.* Quænam eſt quantitas quæ principali ratione dicitꝰ? *Reſp.* Ea quæ per ſe, & non ex alio eſt quantitas, aut numerus, & tẽpus, & cetera eiuſmodi. *Inter.* Ex accidenti uero quænam eſt? *Reſp.* Quæ ex alio dicitur, ut album multum ex ſuperficie, & homo procerus ex longitudine. Febris etiam multa dici conſueuit, quia in multum tempus fuerit producta. nam ſi non eam quæ longius protracta ſit, ſed quæ uehementius ingruerit, multam appellemus, improprie loquemur, ac qualitatẽ potius eo uerbo, ꝙ̃ quantitatem ſignificabimus: quippe cum uehementiam qualitatis eſſe nemini dubium ſit. Quin etiam ſi aliquẽ multum cucurriſſe dixerit quiſpiam, de motione intelligens, quę in multo tempore facta fuerit, ex tempore multum curſum appellabit.

De motu, ꝙ ſit quantitas ex accidenti.

Interrogatio.

SEd quid? motus nonne eſt quantitas? *Reſp.* Minime. non enim connumerata inter quantitates eſt. *Inter.* Quo pacto igitur & multus & longus motus eſſe dicitur? motus enim hic magnus fuit, inquit Thucydides. *Reſp.* Non per ſe uidelicet ita appellat motum, ſed quia cum tempore exiſtit. in tempore uero multum eſt & paucum, longum & breue, magnũ & paruum. Ex tempore igitur, quod eſt quantitas, in quo inſunt hæc, atq; ex accidenti motui ineſſe etiam dicuntur. Nam ſi quis multum & paucum motionis, aut actionis diffinire uoluerit, quantitatem earum tempore diffiniet, annuam, aut menſtruam, aut tale quicpiam uocans.

Quantitati nihil eſt contrarium.

Interrogatio.

AGe uero, quoniam quænam ſint proprie quantitates, & quæ ex accidenti, quæ item eiuſmodi ut poſitionem partium habeant, & quæ non habeant, quæ etiam continuæ, & quę diſcretæ ſint, ſatis explicaſti: proprium eius quod nam ſit, expone. *Reſp.* Illud ineſſe quantitati aſſero, ꝙ contrarium nihil habet. *Inter* Sed quia proprium omni & ſoli & ſemper ineſſe debet, oſtende an nulli ex ijs quæ connumeratæ proprie ſunt quantitates, contrarium quicpiam reperiatur. *Reſp.* Neq; enim lineæ quatenus linea eſt, contrarium aliquid eſt. *Inter.* Sed quo pacto alia recta, alia curua eſſe dicitur? *Reſp.* At enim rectum & curuum lineæ ineſt, non quatenus eſt linea, neq; quatenus quantitas eſt: ſed quatenus talis eſt linea, ei hoc accidit. neq; igitur linea lineæ, ſed curuitas rectitudini contraria eſt. Neq; item ſuperficiei in eo ꝙ eſt ſuperficies, contrarium quicquam eſt. *Inter.* Quo modo uero alia nigra, alia alba ſuperficies appellatur? *Reſp.* Sed quatenus quidem alba, & nigra eſt, eatenus maxima ineſt contrarietas: propterea ꝙ album & nigrum contraria inter ſe ſunt: idem quoq; de aſpero & leui dicendum: quatenus tamen eſt ſuperficies, eatenus ſuperficiei eſſe contraria nullo modo poteſt. Corpori etiam quatenus eſt corpus, contrariũ reperitur nihil. *Inter.* Incorporeum uero nonne corpori contrarium eſt? *Reſp.* Nequaquam. Contraria enim ſub eodem genere ſunt.

nere ſunt.corporis uero & incorporei eſſe nullum commune genus poteſt. Adde ꝙ cum contraria cum affirmatione dici ſoleant, ut dulce & amarum: incorporeum per priuationem dictum eſt. Sed neq; tempori quicquam eſt contrarium, quatenus eſt tempus. Nam licet nox et dies contrario modo ſeſe habere uideantur: non tamen quatenus in tempore ſunt, contrarietatem ullam habent. ſed in eo ꝙ dies eſt aer illuſtratus, & nox aer obtenebratus, contraria inter ſe ſunt. aer uero quatenus eſt aer, quantitas non eſt. Nihil etiam inuenitur, quod orationi eſſe contrarium poſſit. *Inter.* Sed quo pacto fit, ut alia ſit uera, alia falſa? *Reſp.* Oratio ſane non quatenus eſt ſignificatiua, in quantitatis genere poſita fuit: ſed quatenus in pronunciatione conſiderata longa & breui ſyllaba menſuratur. quantũ autem ad hoc ſpectat, uerum & falſum in ſe non habet, neq; ullam contrarietatem admittit. In numero quoq; contrarietas nulla ineſt. duobus enim quatenus duo ſunt, aut tribus, aut quinq;, aut omnino numero alicui contrarium eſſe quid poteſt?

An in loco ulla ſit contrarietas.

Interrogatio.

QVid de loco dices? nonne in eo cum ſpecies quantitatis ſit, contrarietas reperitur? *Reſp.* Fortaſſe. Si quidem ſupra & infra loci partes aut ſpecies ſunt. eas autem cõtrarias inter ſe eſſe perſpicuum eſt. *Inter.* Sed cur dixiſti fortaſſe? *Reſp.* Quia nonnulli ſunt, qui ſupra & infra non loci ſpecies, ſed reſpectus quoſdam, & differentias loci eſſe uoluerunt. Quod enim ſupra caput noſtrum eſt, ſupra, quod eſt ſub pedibus, infra: In uniuerſo autem quod circulare ac rotundum eſt, nihil neq; ſupra, neq; infra eſſe inquiunt. Si tamen ſupra & infra non aliqua alia, niſi uniuerſi diſtantia conſiderata ſumpſerimus, ita ut quia orbiculare eſt, infra illud ſit quod ad mediam uniuerſi regionem fuerit ſitũ: ſupra, quod a medio ad extremum ambitum acceſſerit: ſupra & infra contraria inter ſe eſſe poterunt, propterea ꝙ plurima a medio ad externam uſq; ſuperficiem: non ſecus atque in circulo & globo ad extremum ambitum diſtantia ſit. Hic ſiquidem ſupra tantummodo eſt ſupra, & infra, tantummodo infra. In alijs autem diſtantijs idem eſſe & ſupra & infra, ſi alijs atque alijs comparetur, poteſt. Iccirco illa cum per ſe ſint, utpote loci differentiæ ſupra & infra contrarietatem queunt admittere: ut in quantitate circa ſolum locum contrarietas reperiatur. Nam in loco eſſe contrarietatem etiam illi uidentur ſignificare, qui contraria ea eſſe diffiniunt, quę inter ſe plurimum diſtant: quippe cum ex contrarietate ſuperioris & inferioris loci regionis ſumpſiſſe diffinitionem uideantur: diſtare enim non niſi de loco dici proprie conſueuit. Quare in ſolo loco contrarietas erit. *Inter.* Sed quo pacto rei huic Herminus occurrit? *Reſp.* Ita uidelicet, cum diceret ſupra & infra non locum ſignificare, ſed ubi: quemadmodum neq; heri, & cras tempus, ſed quando. Sed ſicut quando eſt circa tempus, ita ubi circa locum. aliud tamen eſt aliquid eſſe quantitatis, & aliud eſſe quantitatem. Atq; ita quidem Herminus contrarietatem e quantitate amouebat.

Magnum & paruum neq; quantitates definitas eſſe, neq; contraria.

Interrogatio.

NVnquid in alijs quantitatibus contrarietas non reperitur? *Reſp.* In definitis ſane nulla eſt: in indefinitis uero quædam eſſe uideretur. *Inter.* Indefinitæ quantitates quænã ſunt? *Reſp* Quę proferuntur in hunc modum: multum uel paucum: magnum uel paruum: quantitas enim aliqua proculdubio eſt, quæ multa uel pauca, magna uel parua eſſe dicitur. *Inter.* Suntne hę proprie quantitates? *Reſp.* Non ſane uidentur. *Inter.* Cur? *Reſp.* Quia quantitatem non ſignificant, ſed potius ad aliquid. *Inter.* Sed quid? num contraria huiuſmodi ſunt? *Reſp.* Minime. Sed oppoſita quidem inter ſe ſunt, ſed oppoſita tamen non ut contraria, ſed ut ea quæ ad aliquid ſunt. Quapropter cũ ad aliquid ſint, non contraria ſunt, ſed oppoſita. *Inter.* Quo modo hoc dixiſti? *Reſp.* Quia ex ijs quæ opponuntur, alia ut affirmatio & negatio, alia ut priuatio & habitus, alia ut ad aliquid, alia ut cõtraria opponi conſueuerunt. Quare quæ ſunt aliquid oppoſita quidem ſunt, ſed non contraria. *Inter.* Magnum & paruum, multum & paucum, nunquid ſunt ad aliquid? *Reſp.* Non ſolum ſunt ad aliquid, ſed abſolute etiam unumquodq; horum quantitatem indefinitam ſignificat. quippe cum & magnum & paruum, & multum & paucum duobus modis dicatur, & abſolutę ui-

delicet; & ad aliquid. *Inter.* Quantitates quæ abſolute ſignificantur, cuiuſmodi ſunt? *Reſp.* Indefinitæ. *Inter.* Cur indefinitæ? *Reſp.* Propterea ꝙ magnum quanto magnum, & paruum quanto paruum ſit, præfiniri non poteſt. Sed ſtatim ubi magnum eſſe aliquid dixerit quiſpiam, ad paruum quoddam conſiderandum animus fertur, ut quanto magnũ dictum illud ſit, percipere ualeat. *Inter.* Sed cur non ad aliquid tantummodo hæc eſſe dicis: ſed etiam abſolute quantitates eſſe adiungis? *Reſp.* Quia magnum & paruum, multum & paucum præ ſe fert, ꝙ abſolute, & non ad ſe mutuo reſpiciendo ita dicatur: ſignificat etiam ꝙ ad aliud ſpectet. Iccirco duo eſſe diximus quæ ex ipſis ſignificentur, & abſolutum quicpiam, & ad aliquid.

Magnum & paruum, multum & paucum non eſſe quantitates, ſed ad aliquid.

Interrogatio.

NVnquid duarum harum ſignificationum mentionem fecit Ariſtoteles? *Reſp.* Nequáquam. *Inter.* Sed utriuſnam? *Reſp.* Eius tantum quę eſt ad aliquid. atq; id comprobare pluribus nititur. *Inter.* Quęnã prima ratio eſt, quæ ad huiuſce rei demonſtrationem ab ipſo ſumitur? *Reſp.* Ab inductione. Nihil enim eſt, quod per ſe magnum uel paruum dicatur: ſed ad aliud omnia referuntur, ſicut ex inductione facile perſpicitur. ut mons paruus dicitur, licet ſi abſolute conſideretur, paruus minime ſit: ubi ad alterum cognatum quod maius eo ſit, fieri relationem perſpicuum eſt. Contra uero milij granum, quod eſt aliorum fere omnium minimum, ſi ad alterum tamen milij granum, quod minus ſit, comparetur, magnum dici conſueuit. *Inter.* Sed quid hoc ad demonſtrationem, ꝙ magnum & paruum ad aliquid dicatur, facit? *Reſp.* Quia uidelicet, ſi idem utrunq; per ſe ſumeretur, & ad alterum quicpiam cognatum relatio non fieret, nullo modo aut mons paruus, aut milij granum magnum diceretur: *Inter.* Quo pacto breuiter hoc ratiocinando colligeres? *Reſp.* In hunc modum: Quantitas ad aliquid non dicitur, ut bicubitale, tricubitale, ſuperficies, & cætera. At magnum & paruum ad aliquid dicitur. magnum igitur, & paruum quantitates non ſunt. Item alio modo. Quantitas per ſe dicitur: id quod inductione patet. magnum autem & paruum per ſe non dicitur. non ſunt igitur quantitates magnum & paruum. *Inter.* Magnum quidem & paruum quantitates non eſſe, ſed ad aliquid, ſatis iam demonſtratum eſt. de multo & pauco idem demonſtrandum reſtat. *Reſp.* Athenis exempli cauſa ſi tria milia hominum ſint, paucos: in pago ſi ſint trecenti, multos eſſe dicimus: cum tamen multo plures ſint Athenis. In domo item quingenti multi habentur: in urbe etiam ſi multo plures ſint, pauci cenſentur. Multi & pauci igitur relatio ad alterum fit. Altera argumẽtatio in hunc modum progreditur: bicubitale, & tricubitale, & duo, & quinq; quantitatem unumquodq; ſignificat. multum, & paucum ſignificatiua quantitatis non ſunt: non enim dum dicimus multum, aut paucum numerus quiſpiam ſignificatur: neq; etiam dum dicimus magnum aut paruum præfinitam quãpiam quantitatem exprimimus. Hæc igitur quantitates minime ſunt. *Inter.* Nunquid aliud habes, quo idem probes? *Reſp.* Habeo. *Inter.* Quodnam? *Reſp.* Amarum cum dulci contrarium ſit, per ſe & dicitur, & intelligit. propterea ꝙ quamuis amarum nihil ſit, dulce intelligi per ſe poſſit: & licet dulce non ſit, per ſe amarum percipiatur. Simili modo quoq; album et nigrum, frigidum & calidum, cum contrarietatem in ſe admittant, prius tamen per ſeſe intelliguntur. At magnum & paruum, multum & paucum per ſe neque dici, neq; intelligi prius poſſunt: ſed una cum ipſis aliud intelligamus neceſſe eſt, ad quod referantur. Nam magnum neq; dicere, neq; animo poſſumus concipere, niſi ad aliquid aliud prius reſpiciamus, cui id comparantes eſſe magnum dicamus. Eodem modo reliqua tria. Quid enim præfinitum intelligamus, dum uel magnum & paruum, uel multum & paucũ audimus, dici non poteſt. Si igitur quę contrarietatem habent per ſe primo dicuntur: quatuor uero hęc per ſe primo dici non poſſunt: quatuor hæc inter ſe contraria non ſunt. *Inter.* Quanam alia argumentatione confirmare idem potes? *Reſp.* Hac. Si magnum & paruum, contraria inter ſe ſunt, quoniã ad magnum præfinire aliquod paruum debemus, & ad paruum item aliquod magnum, ad quod dicatur: idq; eodem tempore euenire poteſt: fiet, ut idem ſibi ipſi eſſe contrarium queat. Non ſunt igitur magnum & paruum contraria. Idem de multo & pauco dicendum eſt. Quod ſi neq; in his contrarietas reperitur, neq; in loco, ut quibuſdam placet, in quantitate nullum erit cõtrarium. *Inter.* Nunquid igitur hoc quantitatis proprium eſt?

Reſp.

Reſp. Minime. Nam & in ſubſtantia contrarietatem nullam ineſſe demonſtratum eſt, & in qualitatibus nonnullis demonſtrabitur. Quare proprium quantitatis id non eſt, etiamſi omni ineſſe conſpiciatur.

Non ſuſcipere magis & minus quantitatis ſolius non eſſe proprium.

Interrogatio.

DIc uero an quantitas aliquid aliud proprium habeat? *Reſp.* Illud etiam quantitati ineſt, ut neq; magis eſſe, neq; minus dicatur. id quod per particularia omnia percurrenti perſpicuum eſt. Linea enim quatenus linea, non eſt magis linea q̃ alia: neq; ſuperficies magis uel minus ſuperficies eſt, q̃ alia ſuperficies: neq; corpus quatenus eſt corpus, neq; locus quatenus locus, neq; numerus quatenus numerus, neq; tempus quatenus tempus. Vnde quantitatem neque magis ſuſcipere, neque minus conſtat. *Inter.* Eſtne hoc quantitatis proprium? *Reſp.* Nequaquam. Non enim ſoli ipſi hoc ineſt, etiam ſi omni. quippe cum ſubſtantiã quoq; nihilo magis alteram altera eſſe ſubſtantiam demonſtratum ſit.

Quod æqualis uel inæqualis dicatur, proprium quantitatis eſſe.

Interrogatio.

SEd quid proprium ſubſtantiæ eſt? *Reſp.* Quod æqualis dicatur, uel inæqualis. linea ſiquidem lineæ, & corpus corpori, & ſuperficies ſuperficiei, uel æqualis eſt, uel inæqualis. *Inter.* At cum album quiſpiam albo alicui æquale eſſe dicit, quo pacto id dicit? *Reſp.* Improprie quidem. abutitur enim uerbo æqualis pro ſimili. *Inter.* Sed homo homini æqualis, & turris turri cum non quantitas, ſed ſubſtantia ſit, quo modo dicitur? *Reſp.* Ex accidenti. *Inter.* Quo pacto ex accidenti? *Reſp.* Quia non quatenus ſubſtantia eſt, ſed quatenus magnitudinem habet, æqualis dici conſueuit. Nam dimenſiones & diſtantię quę uocantur, quantitates ſunt, quæ primo circa ſubſtantiam noſtram exiſtant: quæ longitudo, & latitudo, & altitudo ſunt.

DE IIS QVAE SVNT AD ALIQVID.

Cur poſt quantitatem primo ſubſequantur.

Interrogatio.

POST quantitatem quodnam deinceps prædicamentum ſubſequitur? *Reſp.* Eorum quæ ſunt ad aliquid. *Inter.* Qua de cauſa id potius, q̃ qualitas? *Reſp.* Quia ſtatim ubi lõgitudo, latitudo, & profunditas pręceſſit, maius & minus exiſtit: id quod ad aliquid eſt. Idcirco poſt quantitatem ſtatim eorum meminit, quę ſunt ad aliquid. Necnon eam ob cauſam quoq;, q̃ in quantitate eorum fecerat mentionem quæ ſunt ad aliquid. Vnde ut perſpicuũ nobis magis faceret, quo pacto magnum & paruum, multum & paucum dicerentur, neceſſe fuit, ut quænam eſſent ad aliquid, deinceps ſtatim doceret.

Quænam ſint aliquid.

Interrogatio.

QVænam igitur ſunt ad aliquid? *Reſp.* Diffinitionem eorum quæ ſit maxime generalis, aſſignare non poſſumus, quemadmodum neq; in alijs: notionem tamen quandam eorum colligere licet: id quod ipſe etiam Ariſtoteles facit, cum ea eſſe ad aliquid, inquit, quæcunq; ea ipſa quę ſunt, eſſe aliorum, uel quocunq; alio modo ad aliud dicuntur. *Inter.* Quidnam ex hac aſſignatione explicare nobis uult? *Reſp.* Primum, hæc quæ ad aliquid ſunt, in multitudine conſiderari: quaſi non unum ſit, ſed plura quæ ad aliquid dicuntur. Nam licet unum etiam ſit ex ijs quæ ad aliquid ſunt, non tamen id ad aliquid recte dici poſſet. Sicut enim non recte diceres eius quod inter ſe eſt, ſed eorum quæ ſunt inter ſe: ita neq; eius quod eſt ad aliquid, ſed eorum quæ ſunt aliquid dici debet. Hac de cauſa & de quantitate & de ſubſtãtia ſingulari numero, de ijs uero quę ſunt ad aliquid in multitudinis numero dixit, in hunc modum: Ad aliquid autem ea dicuntur, &c. Præterea Platonica eſſe hæc deſcriptio dicitur, quam procedendo poſtea corrigit.

Non omnia ad aliquid ad eundem caſum dici, immo aliqua ne ad caſum quidem ullum dicuntur.

Interrogatio.

QVuid ſibi uult quod adiunxit, uel quocunq; alio modo ad aliud dicuntur? *Reſp.* Ex eo ꝙ inquit, ea ad aliquid dici quę ipſa ea quæ ſunt, aliorum dicuntur, ea quæ ſunt ad aliquid, non eſſe abſoluta, ſed ad aliud aliquid reſpicere ſignificat: quorum nonnulla aliorum dicantur ad eundem caſum utraq;: quędam ad alium atq; alium: alia ne ad caſum quidem ullum dici conſueuerint. *Inter.* Sed deinceps quid ſubiungit? *Reſp.* Vel quocunque alio modo ad aliud. *Inter.* Exemplis quod dixiſti, declara. *Reſp.* Ad eundem caſum dicuntur pater filij, & filius patris. A quo enim fit relatio, id in recto: ad quod fit, in genitiuo caſu id in utriſq; ponitur. Hæc igitur, atq; huiuſmodi in caſibus iiſdem conueniunt. Senſio autem ſenſibilis ſenſio cum a recto ad genitiuum dicatur, a recto poſtea ad ablatiuum non ad genitiuum fit reciprocatio: ſenſibile enim ſenſione ſenſibile eſſe dicimus. In quibus immutatos fuiſſe caſus perſpicuum eſt. At magnum licet ad paruum dicatur, non tamen neq; magnum parui magnum, neq; paruum magni paruum dici poteſt. Sed intellectione quidem ad aliquid dici percipitur, non tamen ulla caſuum prolatione exprimi conſueuit. Hæc igitur ſunt quæ quocunque alio modo ad aliud ſeſe habent, ſed non ita, ut quemadmodum alia ad caſum aliquem dici ualeant. Omnia autem hæc ea ipſa quæ ſunt, non per ſe, ſed aliorum quorundam dicuntur. *Inter.* Sed quænam exempla Ariſtoteles ipſe adduxit? *Reſp.* Maius minoris maius, & minus maioris minus dici: & item duplum dimidij duplum, & dimidium dupli dimidium. præterea habitus, inquit, diſpoſitio, ſenſio, ſcientia. Omnia enim hæc ea ipſa quæ ſunt, aliorum eſſe dicuntur. Non tamen eodem caſu omnia reciprocant. Scientia enim ſcibilis ſcientia, & ſenſio ſenſibilis ſenſio dicitur. non tamen ſcibile ſcientiæ ſcibile, aut ſenſibile ſenſionis ſenſibile: ſed ſcientia ſcibile, & ſenſione ſenſibile. Simili modo quoq; cum habitus rei habitu perceptæ habitus dicatur: res autem habitu percepta non ipſius habitus, ſed habitu percepta res dicitur. Item poſitio poſitæ rei poſitio, poſita uero res poſitione poſita. Hæc igitur ea ipſa quę ſunt, eſſe aliorum dicuntur. *Inter.* At eorum quænam affert exempla quæ quocunq; alio modo ad aliud dicuntur? *Reſp.* Ipſe id planum facit. cum enim dixerit, uel quocunq; alio modo ad aliud, ſubiungens, mons, inquit, magnus dicitur. Ad paruum enim montem comparatus proculdubio magnus appellatur: non tamen caſu aliquo id fit. quippe cum neque magnum parui magnum, neq; paruum magni paruum dicatur. Sed maius tãtum minoris maius, & minus maioris minus.

Differentia eorum quæ ad eundem caſum dicuntur.

Interrogatio.

EOrum uero quæ ad eundem caſum dicuntur, quænam eſt differentia? *Reſp.* Ea ſane ꝙ alia ſunt, quæ eodem nomine, alia quæ diuerſo utuntur. *Inter.* Quænam ſunt quæ eodem nomine utuntur? *Reſp.* Cuiuſmodi ſunt, ſimile, æquale, diſſimile, inęquale. ſimile ſiquidem hoc illi eſſe, & alterũ alteri dicimus: & diſſimile eodem modo, & ęquale & inæquale. *Inter.* Quæ non eodem nomine, ſed caſu eodem utãtur, ſubiunge. *Reſp.* Pater & filius. ſicut enim pater filij pater, ſic filius patris filius dicitur. Species quoq; poſitionis ad aliquid ſunt. Nam ſi poſitio eſt ad aliquid, ſpecies quoq; eius eſſe ad aliqd neceſſe eſt. *Inter.* Quænam ſunt poſitionis ſpecies? *Reſp.* Recubitus, ſtatio, ſeſſio. quippe cum recubitus recumbentis recubitus: & recumbens recubitu recumbens ſit: & ſtatio ſtantis ſimili modo ſtatio ſit, & ſtans ſtatione ſtare dicatur: ſeſſio item ſedentis ſit ſeſſio, & ſedens ſeſſione ſedens ſit.

Cur recumbere, ſtare, & ſedere ad aliquid non ſint.

Interrogatio.

NVnquid uero quia recubitus, & ſtatio, & ſeſſio ad aliquid ſunt, recumbere etiam, & ſtare, & ſedere eſſe ad aliquid dicentur? *Reſp.* Nullo modo. *Inter.* Qua de cauſa? *Reſp.* Quia poſitio & ſpecies eius ad aliquid ſunt: hæc uero neq; poſitiones, neq; poſitionũ ſpecies habentur: ſed a ſpeciebus poſitionis enumeratis ſunt denominatiua. Nullum autem denominatiuum cum eo idem eſt a quo denominatur: non enim grammaticus idem eſt quod grammatica

matica. Nam mulier cum a grammatica dicitur grammatica, id denominatiuum non eſt, ſed æquiuocum, ut iam ſuperius fuit declaratum. *Inter.* Sed quid? nonne ſedere quodam modo ad ſedentem reſpicit? *Reſp.* Reſpicit quidem, ſed id ipſi accidit. ex eo autem quod accidit, ad aliquid dicendum propterea non eſt.

In quibus ex ijs quæ ſunt ad aliquid, ſit contrarietas, & in quibus non.

Interrogatio.

SIcut uero in ſubſtantia & quantitate dum proprium inquireres, nunquid habere contrarium aut non habere eorum eſſet proprium, indagaſti, & demum non eſſe demonſtraſti: ita hic quoq; idem effice. *Reſp.* In ijs quę ſunt ad aliquid, quandam eſſe contrarietatem aſſero. *Inter.* Id demonſtra. *Reſp.* Virtus uitio contraria eſt. uirtus autem & uitium ſunt ad aliquid. Nam cũ omnem habitum ad aliquid eſſe dictum ſit, quatenus cuiuſdam eſt habitus: uirtus quoq; & uitium quia ſunt habitus, ad aliquid etiam ipſa erunt. uirtus ſiquidem alicuius eſt habitus, & ſimili modo uitium. *Inter.* Sed quo pacto fieri id poteſt, cum uirtus & uitium qualitates ſint? Nam habitus etiam ipſos qualitates eſſe dicit. *Reſp.* Sed nihil uetat, quo minus una & eadem res alio atque alio modo ſumpta in plura prædicamenta poſſit referri. Quemadmodum qualitas, quatenus eos quales reddit qui eius ſunt participes, eſt e prædicamento qualitatis: quatenus uero cuiuſdam eſt qualitas, eſt enim qualis, ex ijs eſt quæ ſunt ad aliquid. Abſq; autem alio prædicamento excogitare non licet quicpiam quod per ſe ad aliquid ſit. Vnde etiam fit, ut quæ ſunt ad aliquid, ſi in prædicamento alio reperiãtur quod contrarietatem admittat, ipſa etiam eandem ſuſcipiant: ſi in prædicamento ſint, in quo non ſit contrarietas, neq; ipſa admittere eam poſſint. Exempli cauſa quia qualitas contrarietatem admittit, uirtus enim uitio contraria eſt: ea quæ ſunt ad aliquid, quę in qualitate reperient̃, etiam ipſa contrarietatem habebunt. Quia uero ſubſtantia quatenus eſt ſubſtantia, contrarietatem nullam admittit, Socrates autem eſt, & quælibet alia ſubſtantia quę patri uel filio, domino uel ſeruo ſubijcitur: neq; his quæ ad aliquid ſunt, quicquid contrariũ erit. Neq; duplo quod quantitati ſubijcitur, contrarium aliquid eſt. quid enim fieri poteſt, ut duo uni, aut quatuor duobus contraria ſint? Sed neq; dimidio eandem ob cauſam contrarium eſt quicpiam. Quapropter admittere contrarietatem proprium ijs quæ ſunt ad aliquid, eſſe nullo modo poteſt. *Inter.* Cur? *Reſp.* Quia neq; omnibus ineſt, neq; ſolis.

Magis & minus non omnia quæ ſunt ad aliquid, admittunt.

Interrogatio.

QVid uero? ea quæ ſunt ad aliquid, nonne id admittunt, ut magis & minus dicantur? *Reſp.* Admittunt quidem, ſed non omnia. *Inter.* Quo pacto admittunt? *Reſp.* Simile enim & æquale magis uel minus alterum altero dicimus. Simile uero & æquale ad aliquid ſunt. *Inter.* Si quantitas non admittit, ut magis & minus dicatur, æquale uero & inæquale admittit: qua ratione fieri id poteſt, ut æquale & inæquale proprium quantitatis ſit? *Reſp.* Fieri id ſane non poſſet, ſi quatenus eſſet quantitas, magis & minus admitteret. Sed quæ accidunt quantitati, ut magis & minus admittant, nihil abſurdi in ſe habet. Quemadmodum etiam in ſubſtantia ſit. ipſa enim contrarietatem non admittit. nihil tamen obſtat, quin ei accidat, ut contrariorum uiciſſim eſſe ſuſceptrix queat. Ita hic aliud eſt quantitas, aliud proprium quantitatis. proprium ſiquidem eius qualitas eſt, quæ eſt affectio quædam ſubſtantialis quantitatis. at affectiones & qualitates admittunt id ut magis & minus dicantur. æquale igitur & inæquale idem etiam admittet, licet quantitati id minime conueniat. *Inter.* Sed ſi æquale & inæquale affectiones ſunt quantitatis, quo pacto eſſe ad aliquid poſſunt? *Reſp.* Quia æquale æquali æquale, & ſimili modo inæquale inæquali inæquale eſſe dicitur: ipſum enim id quod ſunt, alterius dicuntur. *Inter.* Nunquid omnia quæ ſunt ad aliquid, magis & minus admittunt? *Reſp.* Minime. Neq; enim duplum magis aut minus aliquo alio duplum, neq; dimidium magis aut minus dimidium dici poteſt.

Proprium eorum quæ ſunt ad aliquid, dici ad ea quæ reciprocantur.

Interrogatio.

QVodnam igitur proprium eſt ijs quæ ſunt ad aliquid, in eo ꝙ ad aliquid ſunt? *Reſp.* Quod dicuntur ad ea quæ reciprocantur, tam prima ad ſecunda, ꝗ̃ ſecunda ad prima.

exempli cauſa dicatur pater primus, & filius ſecundus, & ſit pater filij pater. in his ſit reciprocatio, ſi filium anteponamus, & dicatur filius, patris filius. *Inter.* Nunquid omnia ita ſeſe habent? *Reſp.* Omnia quidem, ſed intellectione omnia, non pronunciatione. Nam alia ad eoſdem caſus cum ijs quæ prima dicuntur, reciprocantur, ut pater, filij pater: & filius patris filius: in utriſq; enim ad genitiuum caſum facta pronunciatio eſt. Alia non ad eoſdem caſus reciprocantur, ut iam demonſtrauit. ſenſio enim ſenſibilis rei ſenſio ad genitiuum caſum dicit̃. ſenſibilis uero res ſenſione ſenſibilis ad ablatiuum reciprocatur. Alia ſunt, quę nihil habent ad quod pronunciatione poſſint referri: quippe cum neq; magnum parui magnum, neque paruum magni paruum dicatur. Sed hæc dicta ſatis ſuperius ſunt.

Accommodate faciendam attributionem, ut reciprocatio fieri omnium poſsit.

Interrogatio.

NVnquid hoc ita ut forte incidit, fieri poteſt? *Reſp.* Nequaquam. *Inter.* Sed quid obſeruandum eſt? *Reſp.* Vt accommodate fiat attributio ad id, ad quod aſſignatur. *Inter.* Quidnam illud eſt? *Reſp.* Verbi cauſa, ſi pennam auis pennam eſſe dicamus, uere quidem dicimus, ſed non accommodate tamen. Iccirco fieri reciprocatio non poterit. Non.n. auem pennæ dicere poſſumus. In cauſa autem eſt non quia non reciprocatur, ſed quia a principio non accommodate fuit aſſignatum. Penna ſiquidem, non quatenus eſt auis, penna eſſe dicitur, ſed quatenus eſt rei pennatæ. Ideo ſi ita aſſignemus, & pennam pennatæ rei eſſe pennam dicamus, reciprocatio optime fit. nam pennata res penna pennata eſſe dicitur: quippe cũ multorum aliorum pennæ ſint, quæ non ſunt aues, ut apum, ueſparum, locuſtarum, & cæterorum id genus.

Quo pacto nomina fingenda, ſi deſint, vt accommodate fieri attributio poſsit.

Interrogatio.

IN omnibus ne nomina in uſu reperientur, ad quæ attributionem eorum quæ ſunt ad aliquid, faciamus? *Reſp.* Minime. *Inter.* Quid igitur erit faciẽdum? *Reſp.* In quibus nomina non ſunt, in ijs nos, inquit, accommodata inueniemus, ac fingemus. *Inter.* Quo pacto fingemus? *Reſp.* A primis ſecunda faciemus nomina fingendo. Verbi cauſa, caput eſt quod dicitur. id nos ſi animali aſſignemus, & caput animalis caput dicamus, errabimus: quippe cum multa ſint animalia, quæ caput non habeãt, ut ſunt oſtrea, cancri, & ſimilia. Quocirca ſi ita aſſignemus, caput animalis caput, non uera erit reciprocatio. nam animal capite eſſe animal dici non poteſt. eo ꝙ, ut iam dixi, multa animalia ſint, quę capite careãt. *Inter.* Quo pacto igitur faciendum eſt? *Reſp.* A capite denominatiuum dicendum eſt, capitatum. atque ita fiet, ut reciproceť. Caput enim capitati caput: & capitatum capite capitatum dicetur. Simili modo quoq; in gubernaculo eſt faciendum. Si enim dicamus gubernaculum nauigij gubernaculum, non in omnibus congruet: propterea ꝙ multa nauigia ſunt, quæ gubernaculo minime regantur: ut ſunt parua, quæ remis tantum aguntur. Iccirco fieri reciprocatio non poterit. Nauigium enim gubernaculo nauigiũ eſſe, uerum non eſt. Sed ſi a gubernaculo denominatiuum nomen fecerimus gubernaculatum, uera euadet oratio, cum dixerimus gubernaculum gubernaculatæ rei gubernaculũ: & reciprocatio optime efficietur. gubernaculatum enim gubernaculo gubernaculatum eſt. Non abſolute igitur dicendum eſt, omnia quæ ſunt ad aliquid, ad ea dici quæ reciprocentur. *Inter.* Sed quid adiungendum eſt? *Reſp.* Illud proculdubio: ſi accommodate facta aſſignatio fuerit.

Quid obſeruandum in aſsignatione accommodate facienda.

Interrogatio.

QVidnam aliud huiuſce rei præterea argumentum facit? *Reſp.* Quod ſi non accommodate fiat aſſignatio, nihil ne eorum quidem quæ ſine dubio ad ea dicuntur quæ reciprocantur, nominaq; in uſu habent, poterit reciprocari. Vt ſeruus & dominus. ſerui enim dominus dicitur. at ſi non ad dominum dici ſeruum quiſpiam ſumat, ſed ad alium, puta bipedem, aut hominem, aut quodlibet aliud huiuſmodi: reciprocatio non fiet. ut enim ſtatuamus ſeruum hominis ſeruũ dici: hominem tamen ſerui hominem dicere non licebit. *Inter.* Quodnam aliud eiuſdem rei argumentum affers? *Reſp.* Quod ſi accommodate facta aſſignatio

eius ſit, ad quod dicitur, ſi omnia alia detrahuntur, quæ accidunt, ſolumq; id ad quod facta aſſignatio eſt, relinquatur, ſemper ad id dicetur. Vtputa ſeruus ad dominum dicitur. Si igitur bipedem, ſcientiæ capacem, mortalem, hominem, cæteraq; huiuſmodi auferas, ita ut nihil aliud remaneat q; dominus: ſemper ſeruus ad dominum dicetur. Econtrario uero ſi reliquis omnibus ſeruatis dominum detrahas, etiam ſeruum ſimili modo detraxeris: quamuis homo, & bipes, & animal rationale mortale relinquatur. Si enim dominus non fuerit, ad nihil ex alijs quę reſtant, dici accommodate ſeruus poteſt. Idem de aui eſt dicendum. Nam ſi pennatum ab ea detraxeris, neq; penna quidem eſſe ad aliquid poterit, cum pennatum in rerum natura nihil ſit. *Inter.* Quidnam ex hoc conſequitur? *Reſp.* Illud proculdubio: q; ad ea aſſignare debemus, ad quę accommodate dicitur quodlibet. & ſi nomen poſitum eſt, eo eſt utendum: ſin minus, fingendum aliquod eſt, ad quod accommodate referre ualeamus. Si enim ita aſſignauerimus, perſpicuum eſt fore, ut omnia ad ea dicantur, quæ admittere reciprocationē queant. *Inter.* Cur id conſequitur? *Reſp.* Quia oportet, ut ea quę reciprocantur, æqualia ita inter ſe ſint, ut neq; excedant, neq; deficiant. Quando enim alterum excedit, ut penna auem, uel alterum deficit, ut gubernaculum a nauigio, ut reciprocentur, fieri nullo modo poteſt: niſi fuerint inter ſeſe adæquata: id quod fit, ſi æquale nomen uel reperias, uel fingas.

Quæ ſunt ad aliquid, ſimul natura ſunt.

Interrogatio.

QVia ſatis iam declaraſti quæ ſunt ad aliquid. ad ea dici quę reciprocentur, ſi accommodate ad ea quiſpiam aſſignet, ad quæ dicuntur: Quidnam aliud proprium ſit horū quæ ſunt ad aliquid, expone. *Reſp.* Eſt etiam illud, ut ſimul natura ſint. *Inter.* Doce quo pacto. *Reſp.* Ipſe quidem procedendo de ijs quæ ſimul ſunt, diſſeret, quotq; modis dicantur, declarabit: quorum unus is modus eſt, cum ſimul natura eſſe aliqua dicuntur. id quod ineſſe ijs quę ſunt ad aliquid, affirmat. *Inter.* Sed quænam hæc ſunt, quæ ſimul eſſe inquis? *Reſp.* Ea quæ ſeſe mutuo ſimul & introducunt, & perimunt. Quotieſcunq; enim aliqua ſimul ſeſe mutuo & tollunt, & ſtatuunt, ſimul natura ea ſunt. *Inter.* Apertius quod inquis, explica. *Reſp.* Pater ſimul cum filio eſt pater. cum eo ſiquidem eſſentiā ſuam habet, & tunc efficitur pater unuſquiſque, cum filius ipſi naſcitur. Simul igitur ſecum & pater filium, & filius patrem introducit. & econtrario ſi filius non ſit, non erit pater: & ſi non ſit pater, non erit filius. Quia igitur pater & filius ſeſe mutuo introducūt, & ſi alter tollitur, alter quoq; intereat, neceſſe eſt: ſimul hæc natura ſunt. Omnia autem quæ ſunt ad aliquid, eſſe eiuſmodi uidentur, ut ſeſe mutuo & introducant, quæcunque ea ipſa quæ ſunt, eſſe aliorum dicuntur, & interimant. Ea igitur ſimul natura ſunt.

De prioribus & poſterioribus natura.

Interrogatio.

SEd quia quænam ſint priora, & quæ poſteriora, intra quæ ea exiſtere intelliguntur quæ ſunt ſimul, ſcire nobis neceſſe eſt: quænam priora, & quæ poſteriora ſint, expone. *Reſp.* Sed de his quoq; ipſe Ariſtoteles latius poſtea docebit. nunc tamen nos etiam nonnulla dicemus, præſertim cum ipſe etiam ad contemplationem eorum quæ ſunt ad aliquid, uſurus ipſe ſit. *Inter.* Quænam igitur priora, & quæ poſteriora ſint, explica. *Reſp.* Multę quidem & priorum & poſteriorum differentiæ ſunt. nam multis modis hæc quoq; dicuntur: ſed is qui nunc quęrit̄, eiuſmodi eſt. prius illud dicimus, quod cū ſimul perimat, ipſum ſimul non tollit̄. Verbi gratia, unitas dualitate eſt prior: propterea q; ſi ipſa tollatur, ſimul tollit etiam dualitatem: ſi uero dualitas ſublata ſit, unitas ſimul non perimitur. Quoniam igitur unitas ſimul deſtruit, et non ſimul deſtruitur, unitas prior dualitate eſt exiſtimanda. Ac quantum quidem ad ſublationem attinet, quod tollit, q; quod non tollit, prius eſt: quantum ad exiſtendi conſequutionem, contrario modo res ſeſe habet. Eo enim quod ſi ſit, aliud eſſe neceſſe nō eſt, poſterius illud eſt, quod ſi ſit, eſſe aliud neceſſe eſt. nam ſi dualitas ſit, unitatem eſſe eſt neceſſe: ſi uero ſit unitas, nulla eſt neceſſitas, ut dualitas ſit. Cum igitur duo ſunt, & ſi alterum ſit, alterum eſſe neceſſe non eſt: ſi uero ſit alterū, neceſſe omnino eſt, ut alterum ſit: prius illud eſt ex quo alterum minime ſequitur. Sicut euenit in ſubſtantia & accidente. Si enim ſit accidens, neceſſe eſt ut ſit ſubſtantia: ſi autem ſit ſubſtantia, nihil eſt neceſſe, ut accidens ſit. prior igitur eſt ſubſtantia q;

accidens. Quare tollendi contrario modo ſeſe habet, q̃ exiſtendi conſequutio. Quod enim ſimul tollit, & non ſimul tollitur, prius eſt: Quod uero ſimul inducit, & non ſimul inducitur, eſt poſterius.

De ſcientia & ſcibili, ſenſu & ſenſibili, q. ſimul natura ſint.

Interrogatio.

NVnquid uero omnia quæ ſunt ad aliquid, ſimul natura ſunt? *Reſp.* Re uera quidem omnia, licet non omnia quibuſdam uideantur, ex ijs quæ probabili modo diſputat Ariſtoteles. *Inter.* Quid dicas, apertius explica. *Reſp.* Cum Ariſtoteles ex ijs eſſe ſcientiam & ſenſum ſtatuat, quæ ſunt ad aliquid, ſcientia, inquit, ſcibilis rei ſcientia, & ſcibile ſcientia ſcibile eſt: & item ſenſum ſenſibilis rei ſenſum, & ſenſibile ſenſu ſenſibile eſſe ait. At ſi quis & ſcientiam & ſenſum eſſe ad aliquid conceſſerit, proculdubio is neq; ſcientiam ſimul cum ſcibili, neque ſenſum ſimul cum ſenſibili eſſe affirmabit. Nam ſi ea ſunt ſimul, quæ ſimul ſeſe mutuo & introducunt, & perimunt: ſenſibile autem non inducit ſenſum, neq; ſcibile ſcientiam: nec ſi tollatur ſcientia aut ſenſus, ſcibile aut ſenſibile prorſus tollitur: non igitur neq; ſcientia & ſcibile, neq; ſenſus & ſenſibile ſimul eſſe dicenda ſunt. *Inter.* At ſi non ſunt ſimul, quo modo ſeſe habent? *Reſp.* Alia priora, alia poſteriora proculdubio ſunt. *Inter.* Quo pacto non ſint ſimul, oſtende. Fortaſſe enim ex eo ꝙ neceſſe eſt, ut ſimul non ſint, quænam ex ipſis priora, & quæ ſint poſteriora, peſpicuum fiet. *Reſp.* Senſibile & ſcibile, ſi ſcientia & ſenſus e medio tollatur, reſtat. ſi uero ſenſibile & ſcibile ſublatum ſit, remanere amplius neq; ſcientia neque ſenſus poteſt. Non ſunt igitur ſimul neq; ſenſibile & ſenſus, neq; ſcibile & ſcientia: ſed prius ſenſibile q̃ ſenſus, & ſcibile q̃ ſcientia eſt. *Inter.* Sed quo pacto fit, ut ſi non ſit ſcientia ſit tamen ſcibile, & ſi non ſit ſenſus, ſenſibile tamen remaneat: econtrario uero cum eſt ſcibile & ſenſibile, non prorſus etiam & ſcientia & ſenſus exiſtat? *Reſp.* Cum admodum infantes eramus, nullam alicuius rei ſcientiam habebamus: ut autem ſcibilia ſemper non ſint, fieri nullo pacto poteſt. neq; enim ea ſcientia ulla eruditi potuiſſemus percipere, ſi prius non extitiſſent. Adde ꝙ ſi animalia omnia prorſus interirent, quemadmodum in deflagratione uniuerſi futurum eſſe Stoici aſſerunt, ſenſus omnis tolleretur, & ſenſibile tamen adhuc remaneret. ignis enim proculdubio reſtabit. Quin etiam mathematicas ſcientias ferunt ſero ad Græcos deueniſſe, cuiuſmodi eſt geometria, arithmetica, aſtronomia: cũ tamen ante etiam q̃ Græci eas ſcirent, ſcibiles omnino eſſent. *Inter.* At ſi nemo eſſet qui uacare ſtudio ſcientiarum uellet, & propterea geometriæ ſcientia interiret, nunquid propterea geometricæ etiam res ipſæ nullæ eſſent? *Reſp.* Minime. Nam etiam in muſica antiquitus concentum ex dieſis interuallo muſici audiebant. poſtea uero neglecta harmonica modulatione, in qua dieſis interuallum conſonabat, ſenſus huiuſcemodi concentus non amplius extitit: & tamen in rerum natura ſenſibile hoc interuallum adhuc ſupereſſe perſpicuum eſt: licet eius ſenſus iam defecerit. Ariſtoteles uero in huiuſce rei teſtimonium quadraturæ circuli meminit. Eſt autem hoc, quod in quæſtionem apud ueteres ueniebat: an quemadmodum in alijs figuris euenit, ut tantum ſpatium, quantum circulus, complectantur: ita in quadrato quoq; efficiatur. Atq; eſſe quidem quædam demonſtratio uidetur, qua quadrata figura non ſecus atq; aliæ, circulo circumſcribi queat: nondum tamen inuenta eſt: uel ſi nunc eſt inuenta, ut nonnulli dicunt, Ariſtotelis tempore nondum erat. Quare licet ſcibile eſſet, quadratum ſpatium circulo poſſe comprehendi: nondum tamen erat inuentum. Nam defectuum quoq; ſolis & lunæ cognitio & prædictio nunc eſt: cum ante Thaletem nondum eſſet, quamuis ſciri poſſet. Sed ſcibile quidem ſublatum, tollit ſcientiam. at ſi ſcientia ſublata ſit, ſcibile tamen minime tollitur. prius igitur ſcibile, q̃ ſcientia eſt. & cum ſint ad aliquid, ſimul non ſunt. Quare non in omnibus que ſunt ad aliquid, illud ineſt, ut ſimul natura ſint: atq; iccirco neque proprium eorum erit. *Inter.* Numquid ita res uere ſeſe habet? *Reſp.* Nequaquam. Neq; enim ſenſibile quatenus eſt ſenſibile, manet, aut eſt, niſi etiã ſenſus eius ſit: neq; ſcibile, quatenus ſcibile, remanet, aut eſt, niſi eius quoq; extet ſcientia. Nam ſi ſcientia non ſit, poteſtate tãtum erit ſcibile, non actu. Quod ſi poteſtate eſt ſcibile, quia eius eſſe ſcientia poſſit: poteſtate etiã erit ſcientia, quia ſimili modo eſſe eius poſſit. Sed conſiderandum tamen eſt, nunquid etiam ſi alicuius ſcibilis ſcientia apud homines non ſit, in natura tamen rerum omnium ſcibilium ſcientiam eſſe exiſtimandum uideatur: ex mente uidelicet æterna, quæ omnia quæ ſunt, cognoſcit: unde multorum ſcientia in ho-

mines identidem deſcendit.Ita fieret,ut ſi eſt ſenſibile eius quoque uniuerſalis ſenſus eſſet : & ſi eſt ſcibile,ſcientia eius uniuerſalis eodem modo extaret. Atq; hoc pacto ſimul erunt omnia quæ ſunt ad aliquid. *Inter.* Age uero cum Ariſtoteles dixerit:plerunq; enim rerum quæ prius ſunt,ſcientiam acquirimus:nam in paucis,aut nullis ſciētiam ſimul cum ſcibili fieri uidere quiſpiam poſſet:in quibuſnam rebus ſcientia ſimul exiſtit? *Reſp.* In figmentis quidem. ſimul enim atq; confinxit ſibi chimęram quiſpiam,& ſcientia chimęræ,& figmentum eodem tempore exiſtit.Et qui literas primus docuit, una cum ſcientia literarum literas ipſas quoque introduxit. Qui item picturam inuenit, eodem modo una cum pictura imagines protulit. *Inter.* Cur addidit Ariſtoteles, aut nullis? *Reſp.* Quia fortaſſe etiam hæc in rerum natura erant,& nos poſtea ſcientias eorum deprehendimus. *Inter.* Sed ſi ſenſus non ſit,quo pacto ſenſibile etiam non eſſe dices? *Reſp.* Quia ſi ſenſus non ſit,mel quidem erit guſtabile, ſed ſenſibile non erit:color item erit,ſed non uiſibilis,ſi uiſus ſublatus ſit.

Ex *data diffinitione eorum quæ ſunt ad aliquid,quæ abſurditas ſequatur.*

Interrogatio.

SEd quænam deinceps Ariſtoteles differit? *Reſp.* Si data hac quaſi diffinitione ea quæ ſunt ad aliquid,aſſignentur, fore, ut aliquæ ſubſtantiæ ad aliquid etiam ipſæ ſint. *Inter.* Cur quaſi diffinitionem,& non diffinitionem abſolute dixiſti? & quænam eſt hæc quaſi diffinitio eorum quæ ſunt ad aliquid? *Reſp.* Quaſi diffinitionem dixi, propterea q̃ ſupremorum aſſignare diffinitionem non licet.ſuprema autem genera ſunt,quæ in prædicamenta redigu ntur. Quaſi diffinitio uero eorum quæ ſunt ad aliquid, aſſignata hæc eſt:q̃ quæ ſunt ad aliquid,ea ſunt,quæ ea ipſa quæ ſunt,eſſe aliorum dicuntur.iuxta igitur hanc deſcriptionem aliquæ ſubſtantiæ ad aliquid eſſe uiderentur. *Inter.* Quid abſurdi in ſe id haberet? *Reſp.* Illud ſane, q̃ quæ ſunt ad aliquid, accidentia ſunt : ſubſtantia uero accidens nullo modo eſt, Quod ſi aliquæ ſubſtantiæ in eo quod ſunt ſubſtantiæ,ad aliquid ſint, ſubſtantia quatenus eſt ſubſtantia, accidens erit. *Inter.* Quo pacto id demonſtrabis? *Reſp.* Nam ſi quę ſunt ad aliquid,eiuſmodi ſunt ut ad aliquid aliud dicantur, manus uero hominis ad aliquid aliud dicitur,manus ad aliquid proculdubio erit.Simili modo & pes, & oculus, & aliæ partes, ex quibus unuſquiſq; noſtrum conſtat. *Inter.* Quam abſurditatem id affert? *Reſp.* Quod ſi ſubſtantiarum partes non ſunt ſubſtantiæ,totum etiam non erit.Quo quid eſſe abſurdius poſſit,non uideo. Vel igitur diffinitio iam data corrigenda eſt:uel ſi eam quaſi bene ſeſe habeat, admittamus,nullam ſubſtantiam eſſe ad aliquid aſſerere difficile eſt.

Ex *aſsignata diffinitione fieri non poſſe quin ſubſtantia aliqua ſit ad aliquid.*

Interrogatio.

QVo pacto uero ex aſſignatione eorum quæ ſunt ad aliquid, aliquam ſubſtantiam ad aliquid eſſe demonſtrabis? *Reſp.* Si ſubſtantias in hunc modum diuiſero. Dicam enim,uel indiuiduam ſubſtantiam, uel partes eius, uel communem hoc eſt genera & ſpecies ſubſtantiarum,uel partes generum & ſpecierum ad aliquid dici, uel nullam ex ipſis aſſerendum eſſe.Ac de primis quidem ſubſtantijs,hoc eſt indiuiduis non poſſe dici,q̃ aliqua ex ipſis ad aliquid ſit,difficile non eſt demonſtrare.Socrates enim alicuius quidam Socrates non dicitur.Nam ſi quis aſſerere contentioſe uelit,Dei eſſe Socratem poſſe dici,is cogetur reciprocare,& dicere Deum quoq; Socratis Deum eſſe,quod abſurdum eſt. erit enim etiam lapidum, & quaruncunq; ſubſtantiarum,non rationalium tãtum animalium Deus. Adde q̃ ut poſſeſſiones particulares ſubſtantiæ Dei eſſe dicerentur.Hic uero nobis non eſt quęſtio,an ſubſtantiæ ut poſſeſſiones aliquorum ſint:ſed an ſubſtantiæ ut ſubſtantiæ,eſſe aliquorum dicantur.id quod de indiuiduis ſubſtantijs probari nullo modo licet. Sed neq; de partibus indiuiduarum ſubſtantiarum demonſtrari id poteſt. Neq; enim alicuius manum eſſe alicuius quandam manum dicimus,ſed abſolute alicuius manũ:cum caput quoq; alicuius caput,non alicuius quoddam caput dicamus. *Inter.* Neq; ſubſtãtias indiuiduas, neq; earum partes dici ad aliquid poſſe,ſatis declaratum nunc a te eſt.Reſtat ut de ſecundis ſubſtantijs, earumq; partibus idem demonſtres. *Reſp.* In ſecundis ſubſtantijs idem eſt.homo enim qui communiter prædicatur,alicuius homo minime dicitur: neq; bos,alicuius bos, neq; lignum alicuius lignum : ſed ſi modo dicitur,poſſeſſio alicuius dici conſueuit. Diuerſum autem eſſe hominem, aut bouem,

aut lignum,& poſſeſſionem eſſe perſpicuum eſt. *Inter.* Nullã etiam ex his ſubſtantijs eſſe ad aliquid conſtat. Sed nullam etiam ex earum partibus eſſe iam demonſtra. *Reſp.* Id ſane non poteſt. *Inter.* Cur? *Reſp.* Quia caput alicuius eſſe caput, ſicut gubernaculum alicuius eſſe gubernaculum negari non poteſt. Quocirca caput dum communiter dicitur, alicuius caput, hoc eſt capitatæ rei:& manus item manuatæ, ut ita dicam, rei manus erit. Quod ſi ad aliquid ea ſunt, quæ ea quæ ſunt, aliorum dicuntur: omnes ſecundarum ſubſtantiarum partes, cum aliorum dicantur, ad aliquid proculdubio erunt: quippe cum caput eius eſſe dicatur, quod habet caput, & manus,& oculus,& naſus,& pes ſimili modo eius quod ipſa hæc habet. Partes igitur ſecundarum ſubſtantiarum ex aſſignata eorum quæ ſunt ad aliquid diffinitione ad aliquid erunt. *Inter.* Nunquid partes has genera & ſpecies ſubſtantiæ eſſe dicere poſſumus? *Reſp.* Plane quidem. *Inter.* Quo pacto? *Reſp.* Quædam enim manus & genus & ſpeciem habet, ſpeciem manum, genus membrum. Secundę igitur ſubſtantię hæ etiam ſunt, manus uidelicet & pes. ſed manus alicuius manus, & pes alicuius pes eſt: ergo ad aliquid ſunt.

Altera uerior diffinitio eorum quæ ſunt ad aliquid.

Interrogatio.

SEd quoniam abſurdum eſt, ut aliquas ſubſtãtias eſſe ad aliquid dicamus, quid facit Ariſtoteles? *Reſp.* Repudiata priore deſcriptione alteram affert. *Inter.* Quamnam? *Reſp.* Ad aliquid ea eſſe, inquit, quibus eſſe idem eſt, quod ad aliquid quodãmodo ſe habere. *Inter.* Sed obſcura tamen hæc deſcriptio eſt,& per id quod quæritur, aſſignata. Quia cum in quæſtione eſſet, quænam eſſent ad aliquid, aſſignaſti ea eſſe ad aliquid, quibus eſſentia idem eſſet quod ad aliquid eſſe: obſcura enim hæc aſſignatio eſt: perinde ac ſi quærentibus quęnam ſint ad aliquid, ea ad aliquid eſſe dixeris, quæ ſunt ad aliquid,& pro idem quod quæritur, diffinitionem aſſignaris. *Reſp.* Sed quanuis ita reprehendi hæc diffinitio poſſit, aſſignata tamen recte eſſe uidebitur. *Inter.* Explica igitur, quid ſibi aſſignatio hæc uelit. *Reſp.* Multæ res ſunt quæ alio modo ſubſiſtunt, atq; alio deſcribuntur: ut diſtinctione utendum ſit, atq; ita demonſtrandum quamnam habere diffinitionem debeant. Verbi cauſa, album poteſt,& de albedine intelligi, cũ dicimus colorem album,& de corpore quod particeps albedinis eſt: nam etiam corpus album appellamus. Si igitur aliquis diceret album eſſe colorem diſgregatiuum uiſus:& alius album eſſe id cui album accideret, non de albedine quidem, ſed de corpore intelligens: is in eadem albi diffinitione album ipſum ſumeret,& neq; errorem commiſiſſe, neq; in quęſitæ rei explicatione re ipſa quæ in quæſtionem uenit, uſus eſſe diceretur. Immo ſi album eſſe corpus diſgregatiuum uiſus,& non illud cui album accideret, non abſurdũ eſſe nullo modo potuiſſet. Ita hic quoq; non abſolute dictum eſt, ea quæ ſunt ad aliquid, eſſe idem quod ad aliquid quodam modo ſeſe habere, ſed adiunctum eſt, quibus eſſe idem eſt, quod ad aliquid quodam modo ſe habere. eſſentia enim eorum, quæ ſunt ad aliquid, nihil aliud eſt ꝙ̃ ad alterum reſpicere, ita ut illud quoq; ad quod dicitur, idem quod reſpectus ille ſit. Duplum enim, ſit autem quatuor & duo, non quatenus eſt quatuor, ad aliquid eſt, neq; quatenus duo: ſed quatenus quatuor in dupla ad duo.& duo in dimidia ad quatuor proportione eſt. Ea igit̃ quę ſunt ad aliquid, idem ſunt, quod ſubiectorum inter ſe reſpectus: non quantum quidem ad ea ſpectat, quę reſpectui ſubijciunt̃, quibus ſane eſſentia idem quod reſpectus minime eſt: ſed reſpectus ipſe inter ſe eſt ad aliquid, eo ꝙ ad aliquid quodam modo ſeſe habet. Ea itaq; ad aliquid ſunt, quibus eſſe idem eſt, quod inter ſe quodam modo ſeſe habere. *Inter.* Apertius explica, quod inquis. *Reſp.* Id quod ſibi uult eiuſmodi eſt. Ea quæ ſunt ad aliquid cum in ſubiectis quibuſdam ſint, ad aliquid ſunt, non quatenus ſubiecta ea ſubſiſtunt: ſed in eo ꝙ ſubiecta ſeſe mutuo uidentur reſpicere, reſpectuq; eo abundare. Quatuor enim ad duo reſpectu abundant: cum quatuor duplum,& duo dimidium dicantur. Nam quatuor non tantum quatuor dicuntur, ſed duplum etiam: ut hac appellatione abundare uideantur, in eo ꝙ ratio dupli in ipſis conſideratur. Et item duo eodem modo, quatenus dimidium dicuntur. In eo igitur, ꝙ rationem dupli & dimidij ſubeunt, ad aliquid ſunt. Ratio autem horum in duobus quæ reſpectum inter ſe habeant, conſideratur. *Inter.* Sed quo pacto fit, ut prior etiam ratio eorum quæ ſunt ad aliquid, non idem ſignificet? *Reſp.* Quia quod conſequebatur ex ijs quę ſunt ad aliquid, ſignificabat, quid eſſent uero, non exprimebat. Si enim quicpiam ad aliquid eſt,

ad aliquid

ad aliquid prorſus eſſe, & alicuius dicitur: non tamẽ ſi alicuius eſt quicquam, continuo etiam ad aliquid eſt: quippe cum alicuius eſſe uniuerſalius ſit, & latius pateat. Vt ſi quid eſt homo, id prorſus eſt etiam mortale, & ſimili modo rationale, non autem contra: ſic ſi quid eſt ad aliquid, id prorſus alicuius eſt: non autem ſi alicuius eſt quicpiam, prorſus id ad aliquid quoq; eſſe neceſſe eſt: Vnde efficiebatur, ut multa quæ non ſunt ad aliquid, inter ea quæ ſunt ad aliquid, complecteretur: quaſi alicuius eſſe ſolis ijs quæ ſunt ad aliquid, aſcriberetur. Secunda uero diffinitio non eo nititur, ꝙ alicuius ſint: ſed ꝙ in reſpectu quem inter ſe habent, ea quæ ſunt ad aliquid, eſſentiam ſuam habeant. Quaſi enim medium quoddam inter ſubiecta reſpectus is eſt, quo ſubſiſtunt ea quę ad aliquid ſunt: qui quidẽ non alia quadam re pręter ſubiecta exiſtit, q̃ ꝙ coniunctionem quandam indicat, quæ in ipſis inter ſe eatenus conſideratur, quatenus his nominibus appellantur. Ne tamen idem ipſum quod deſcriptione indiget, ſumptum eſſe in deſcriptione uideatur, nonnulli deſcriptionem faciendam eſſe cenſuerunt in hunc modum: quibus eſſe idem eſt, quod ad quodcunq; quodam mō ſe habere: Vel quemadmodum Andronicus, quibus eſſe idem eſt, quod ad alterum quodam modo ſe habere, ea ad aliquid ſunt. *Inter.* Sed quidnam huiuſmodi ratio declarat? *Reſp.* Illud proculdubio, ꝙ in ſubiectis rebus inſint ea quæ ſunt ad aliquid, neq; ita ut ſubſtantiam earum expleant, neq; ſicut alia accidentia, quæ in ipſis ſubiectis rebus innaſcuntur, ut perpeſſio, uel actio: ſed quiddã ſint, quod extrinſecus ipſis adueniat. Vnde fit, ut nihil etiam patientibus ipſis ſubiectis & accedant, & recedant.

Qui vnum præfinite norit in ijs quæ ſunt ad aliquid, etiam alterum cognoſcet.

Interrogatio.

AT uero ipſe Ariſtoteles quid de huiuſcemodi deſcriptione inquit? *Reſp.* Quod ſi aliquid ex ijs quiſpiam pręfinite norit, illud etiam ad quod dicitur, præfinite eſſe cogniturũ. *Inter.* Cur & quo pacto? *Reſp.* Nam ſi quatuor ad aliquid eſſe cognouerit quiſpiam, eſt autẽ eſſe ijs quę ſunt ad aliquid, idem quod ad aliquid quodam modo ſeſe habere: is illud quoque ad quod quatuor quodam modo ſeſe habent: hoc eſt quatuor ad duo duplam rationem obtinere, proculdubio etiã nouit. Si enim omnino ignorat id ad quod quodã modo ſe habet, neq; ad aliquid quodã modo ſe habere illud ſciet. fieri ſiquidẽ nullo mō poteſt, ut quatuor eſſe dupla quiſquã cognoſcat, & duorum eſſe dupla non intelligat. Item ſi patrem eſſe Sophroniſcum pręfinite ſcit aliquis, cuius quoq; pater ſit, hoc eſt Socratis, Socratemq; eſſe Sophroniſci filium non percipere non poteſt. *Inter.* Poſteaquam hæc de ijs quæ ſunt ad aliquid, demonſtrata ſunt: quid ex his euenturum ſit, doce. *Reſp.* Illud profecto, ꝙ partes ſubſtantię ipſa ea quæ ſunt, præfinitæ cognoſcet quiſpiam, & tamen quænam ſit præfinitæ ad quæ dicuntur, poterit ignorare. Cum enim uerbi cauſa manus demonſtratur, eam eſſe quidem alicuius manum poſſumus ſcire, cuius uero ſit, Dioniſne an Theonis, aut alicuius alterius præfinire non poſſumus: licet inſpiciatᷣ, & manus eſſe demonſtretᷣ. Quod ſi ea quæ ſunt ad aliqd & indefinita ad indefinita, & definita ad definita dici neceſſe eſt: partes aũt ſubſtantiæ licet præfinite cognoſcãtur, præfinite tamen ad ea non referuntur, ad quę dici conſueuerunt: partes ſubſtantiæ ad aliquid proculdubio non ſunt. Caput enim, & manum, & unumquodq; huiuſmodi quod ſubſtantia eſt, ipſa ea quæ ſunt, cognoſcere præfinite ualemus: illud uero ad quod dicuntur, præfinite cognoſcere non eſt neceſſe. Cuius etenim ſit caput, aut manus, ſcire præfinite non licet. Hæc igitur ad aliquid nullo modo ſunt. Nam de his non erat tantum quæſtio, an ſubſtantiæ cum eſſent, eſſe ad aliquid poſſe uiderentur: ſed an neq; alia aliqua ſubſtantia, neq; partes eius, quatenus eſſent ſubſtantiæ, eſſe ad aliquid poſſent. *Inter.* Nunquid igitur nullam ſubſtantiam eſſe ad aliquid cenſendum eſt? *Reſp.* Vehementer aſſerendum id non cenſet Ariſtoteles, niſi ſæpius rem, atq; exactius perpenderimus: quippe cum de ſingulis ex his exquirere inutile non ſit. Fieri enim poſſet, ut aliquis etiam de partibus ſubſtãtiæ ſe præfinite cogniturum eſſe affirmaret. Qui enim cuius eſſet manus, uideret, is præfinite huius eſſe manum cognoſceret. Nam qui occultati alicuius manum inſpicit, manum quidem alicuius eſſe ſcit, ſed cuius tamen ſit, ignorat. Atqui manũ hanc præfinite nouit, eum etiam nouit, cuius manus eſt: quippe cum cognoſcere hanc manum eſſe huius, nihil aliud ſit, q̃ hunc cognoſcere. Ob huiuſcemodi igitur dubitationes uidetur adiunxiſſe, ſubſtantiam non eſſe ad aliquid, non eſſe uehementer aſſerendum.

DE QVALI, SEV QVALITATE.

Cur ita facta inſcriptio ſit.

Interrogatio.

POST prædicamentum eorum quæ ſunt ad aliquid, quodnam ſubſequitur? *Reſp.* Qualitatis prædicamentum. Nam poſt ſubſtantiam & quantitatem dubitabatur, nunquid ſtatui qualitas deberet. Quia uero multæ quęſtiones in prædicamento quãtitatis inciderant de iis quæ ad aliquid eſſent: deinceps poſt quãtitatem docere de his fuit neceſſe. Vnde poſt horum tractationem de qualitate conſiderandum uidetur. Quippe cum poſt magnitudinem quæ eſt quantitas, & poſt maius quod eſt ad aliquid, ſuboriantur affectiones, hoc eſt calidum, frigidum, ſiccum, humidum, atque huiuſmodi cætera, quæ qualia ſunt. *Inter.* Sed quale & qualitas qua re differunt? *Reſp.* Eo ſane, ꝙ quale duobus modis ſumi poteſt: quippe cum quale et ipſam qualitatem ſignificet, & illud etiam, quod qualitate affectum eſt. Album enim & albedinem quæ qualitas eſt, ueteres ſæpenumero appellant, & album, quod eſt quale. At qualitas non duplici, ſed ſimplici tantum modo dicitur. Caliditas ſiquidem, & albedo qualitas uocatur, non autem album: neq; omnino quod particeps qualitatis eſt, dici qualitas poteſt, ſed quale tantummodo. tametſi qualitas dici quale etiam poteſt. *Inter.* Clarius explica, quod inquis. *Reſp.* Quædam res eſt ipſa albedo, & quædam item, quæ albedinis eſt particeps. albedo igitur, & quod habet albedinem, quale dici poteſt. *Inter.* Cur uero de quali uel qualitate inſcriptionem fecit? *Reſp.* Nonnulli non eſſe ipſius inſcriptionem hanc aſſerunt: propterea ꝙ neq; in aliis prædicamentis id fecerit, ſed ſine inſcriptione de ipſis tractarit. Alii ita inſcripſiſſe aiunt, ut uſum nominum indicaret. propterea enim ꝙ qualitas etiam quale dicitur, uoluiſſe eum ſignificare affirmant, nihil referre ſiue qualitatem, ſiue quale prædicamentum ipſum appellemus. Si enim quale non ſolum qualitatem, ſed illud etiam quod ipſam habet, ſignificat, neceſſe erat ut id ex qualitatis & qualis nomine cognoſceremus.

Qualitatis deſcriptio.

Interrogatio.

QVo pacto uero deſcribit qualitatem Ariſtoteles? *Reſp.* Qualitas eſt, ex qua dicimur quales. *Inter.* Sed quo pacto non eſſe abſurdum uidetur, ſi cum uult deſcribere qualitatem, eã eſſe dicat, ex qua dicamur quales: cum uero quale, id eſſe, quod qualitatem habeat: ita ut eum qui ſcire cupit, quid ſit quale, ad qualitatem reuocet? Nanque ita fit, ut qualitas ſit, quam habet qualis, qualis uero, qui habet qualitatem: ſicq; incertum adhuc reſtat, quid ſit qualitas. Ac ſimilis quidem res perinde euadit, ac ſi interrogante aliquo quid eſſet qualitas, nihil aliud eſſe q̃ qualitatem reſpõderemus. Si enim qualitas ex quali, & quale ex qualitate demonſtratur, nemini dubium eſt, quin qualitas ex qualitate demonſtrata eſſe exiſtimetur. *Reſp.* Si hæc eſſet diffinitio, uitio profecto huiuſcemodi reciprocatio non uacaret: ſed q͂a ſupremorum generum nulla eſt diffinitio, iccirco reprehẽdendum hoc minime eſt: propterea ꝙ ex notiori id quod minus erat notũ, nobis explanauit: notius enim quale eſt, ꝙ̃ qualitas. nam album ꝙ̃ albedo, & grammaticum ꝙ̃ grammatica perſpicuum magis eſt.

Qualitas quo modo non ſit æquiuoca, etiam ſi multis modis dicatur.

Interrogatio.

SEd quo pacto, ſi ea quę ęquiuoca dicuntur, multis modis dici aſſerit Ariſtoteles, multis modis hic qualitatem dici ait? *Reſp.* Non ſane ꝙ æquiuoce dici qualitatem intelligat. ęquiuocorum enim nullum eſt commune genus: quare neq; qualitatis ullum eſſet unum genus, ſi æquiuoce diceretur. Sed multis modis dici, dupliciter ſumi ſolet: uel enim ęquiuoce ſignificat, uel diuerſe. Quo in ſignificato ſumptum hic eſt. Si enim multis modis pro æquiuoce hic dictum eſſet, uocis in ſignificata diuiſio hæc eſſet. Sed quia multis modis pro diuerſe accipitur; hæc generis in ſpecies diuiſio eſt. *Inter.* Sed unde id conſtat, ꝙ generis in ſpecies, & non uocis in ſignificata partitio hęc ſit? *Reſp.* Inde ſane, ꝙ ipſe ita ſubiungit, una igitur ſpecies qualitatis habitus & diſpoſitio dicatur: & nõ, unum qualitatis ſignificatum. Aequiuoca enim

in diuerſa ſignificatá: genera autem in ſpecies diuerſas diuidi conſueuerunt. Ipſæ uero ſpecierum diuerſarum, non ſignificatorum mentionem facit. Vnde cum inquit, multis modis dici, id non pro æquiuoce, ſed pro diuerſe accipiendum eſt.

Quænam ſint qualitatis ſpecies, & q̄ habitus & diſpoſitio ſit una ſpecies.

Interrogatio.

QVotnam autem ſunt qualitatis ſpecies? *Reſp.* Quatuor. *Inter.* Quęnam? *Reſp.* Vna eſt habitus & diſpoſitio. *Inter.* Nunquid habitus & diſpoſitio, ſicut ſpecies inter ſe differunt, an numero tantum diuerſitatem habent? *Reſp.* Tanquam ſpecies inter ſe minime differunt, ut homo & equus. non enim ſpecificis differentijs, ut equus ab homine, diſtāt: ſed numero tantum diſcrepant, ſicut Socrates & Plato, qui non ſpecifica diuerſitate, ſed proprietate cuiuſdam qualitatum concurſus a ſe mutuo differunt. Quemadmodum igitur album quod diuturnius eſt, a diali albo ſpecie non differt: quippe cum nihil in eo diuerſum ſit, quatenus eſt album: ſed tempore tantum diſcrepat. Vtriuſq; ſiquidem eadem ratio eſt: nam utraq; diſgregatiui uiſus colores ſunt. Mel item nihilo minus mel eſt, etiam ſi melle ſit dulcius. Sic habitus, licet longe ſit ſtabilior q̄ diſpoſitio, in eo q̄ eſt ſtabilior, a diſpoſitione uidetur differre, non in eo q̄ qualitas eſt.

Secunda qualitatis ſpecies naturalis potentia uel impotentia.

SEcunda uero ſpecies qualitatis eſt naturalis potentia uel impotentia, qua pugillatorij nonnulli dici conſueuerunt. Pugil enim, ſeu pugillator eſt, qui pugnis decertandi ſcientia eſt præditus. at pugillatorius nondum pugillandi ſcientiam habet, ſed ad eam acquirendam idoneus eſt. Dicendum igitur naturalem hanc potentiam innominatam eſſe, atq; omnino hanc qualitatis ſpeciem nomine uacare. cui quidem huiuſcemodi qualitates nomen imponere oratione quadam uideri poſſent. aptitudo ſiquidem ad pugillandum ea diceretur, ex qua pugillatorius aliquis eſt: & aptitudo ad ægrotandum, ex qua morbidus, & morboſus aliquis dicit. Salubris item ex aptitudine, quam habet quiſpiam ad ſanitatem conſequendam. Ariſtoteles uero potentiam & impotentiam ipſam eiuſdem appellauit. *Inter.* Sed quo pacto contraria ſuſcipere ſimul quiſpiam poteſt? nam potentia contraria eſſe impotentiæ uidetur. *Reſp.* Nihil abſurdum id eſt. quanta enim potentia eſt prçditus quiſpiam, ei tantam etiam impotentiam accidere inueniemus. qui enim potentiam habet ſanitatis, impotentiam facile ægrotandi idem habere dicendus eſt. Item quando alicui potentia ineſt, ut pugillator euadat; eidem ut non euadat, impotentiam ineſſe perſpicuum eſt. *Inter.* Quo pacto hoc dixit Ariſtoteles? *Reſp.* Dum inquit, ſalubres eos dici, qui naturalem potentiam habent nihil facile patiendi ab ijs, quæ occurrunt: perinde ac ſi diceret, qui patiendi facile a morbis imbecillitatem habent. *Inter.* Sed cur in hac qualitatum ſpecie & durum & molle etiam ſtatuit? *Reſp.* Quia durum uim habet, ut non facile diſcindatur: propterea q̄ nullum in generatione & corruptione corpus eſt, quod non diſcindi queat: at molle, quia econtrario ea ui eſt præditum, ut diſcindi poſſit.

Tertia qualitatis ſpecies paſſiuæ qualitates & affectiones.

TErtium qualitatis genus eſt, paſſiuæ qualitates & affectiones. *Inter.* Quid ſibi uolunt hæ paſſiuæ qualitates & affectiones? *Reſp.* Qualitatis porro hæc ſpecies affectionis ſignificationem pręſefert, non circa idem tamen, neq; uno modo. *Inter.* Plane explica, quod inquis. *Reſp.* Qualitates quædam ſunt, quæ animalibus ſenſu præditis affectiones circa ſenſus afferunt, ac propterea affectiuæ ſeu paſſiue qualitates appellantur. Alię uero ſunt, quę ex affectione in ijs quæ ipſas habent, extiterunt. Vt dulcedinem, & amaritudinem, & acerbitatem eſſe quidem qualitates conſtat: quippe cum ex ipſis quales res dicantur, quæ ipſas ſuſceperint. nam & ex dulcedine dulce mel, & ex amaritudine amarum abſinthium dicitur. Sed affectiuæ qualitates ex eo uocantur, q̄ affectiones ſenſibus inferant. Simili modo quoq; caliditas & frigiditas, non eo q̄ ipſę in ſe affectæ quadam qualitate ſint, ſed quia affectionem etiam in alio efficiant. *Inter.* Hanc quidem qualitatis ſpeciem declaraſti: quo pacto uero affectiuæ qualitates & affectiones dicantur, oſtende. *Reſp.* Albedo & nigredo, & alij colores affectiuæ qualitates dicuntur, propterea q̄ quæ ipſis prædita ſunt corpora, quodam modo fuerunt affecta. Nam & qui timuit, pallidus, & q uerecundatus eſt; ruber affecto corpore euaſit,

Quemadmodum uero ex affectione pudoris effectum eſt, ut rubuerit, & ex timore, ut palluerit quiſpiam: ſic ex naturali quoq; affectione euenire ait, ut talem colorem corpus conſequatur. Sed in timore & pudore opinationes quædam præcedunt, in naturalibus temperaturæ quædam. Qualitates autem has quoq; eſſe illud declarat, quod ex albedine album, & ex nigredine nigrum quodlibet dicitur. *Inter.* Nunquid huiuſcemodi omnes abſolute qualitates dicuntur? *Reſp.* Minime. *Inter.* Sed qua nota diſcernendæ ſunt? *Reſp.* Ea uidelicet, ſi ita ſtabiles & diuturnæ ſint, ut auelli difficulter queant. neq; enim qui ex ſole nigredinem ad breue tempus contraxit, ita eſt niger, ſicut ſi ab ortu niger eſſet effectus: neq; qui præ pudore rubuit, ita ruber eſt, ſicut ſi eiuſmodi eſſet genitus, ut propterea ruber appellari deberet. Quia igitur quales ex talibus coloribus non dicuntur, neq; qualitates in ijs qui ita afficiuntur, ſed affectiones uocantur.

Affectiuæ qualitates & affectiones in anima.

Interrogatio.

POſtea quam affectiuas qualitates, & affectiones in corpore quęnam eſſent, diffiniuiſti, eaſdem in anima ex proportione etiam expone. *Reſp.* Qualitates in anima eſſe quæ ex affectione exiſtant eas aſſero, quę ſtabiles ita ſunt, ut mutari difficulter poſſint. cuiuſmodi eſt auaritia, & inſana mentis exturbatio, atq; ira. Non enim qui aut ſemel, aut ob ea quæ debet, iraſcitur, iracundus eſt: ſed qui eſſe iraſcendo infeſtus ſolet, atq; id uel ex morbo, uel ex peruerſione contraxit. Oportet autem, ut iracundum hic intelligamus, non qui naturalem aptitudinem & procliuitatem ad iraſcēdum habet: ita enim ad ſecundam ſpeciem referri deberet: ſed qui iracundia ita affectus eſt, ut quaſi morbum contraxerit. Tales etiam ſunt amicitia, & amatoria inſania. Nam ſi ſtabiles non ſint ira & cupiditas, affectiones tantum ſunt, non qualitates.

Tertia ſpecies qualitatis quo modo a prima & ſecunda differat.

Interrogatio.

SEd quid erit quo a prima ſpecie differre hæ qualitates uideantur? *Reſp.* Quod illæ ex doctrina atq; extrinſecus perfectionem conſequebantur. Scientiæ enim & uirtutes maiori ex parte doctrina cōparari conſueuerunt. Hę autem non doctrina, ſed natura perficiuntur. nigredo enim, & albedo, & dulcedo natura exiſtunt. Temulentia item et Auaritia non ex diſciplina, ſed ex prauis moribus inoleſcunt. *Inter.* Atenim ſi natura & conſuetudine hæc inſunt quo pacto a ſecunda ſpecie diſtant? *Reſp.* Hoc modo uidelicet, quod illæ in potentia, & ſola aptitudine conſiderabantur. Hæ uero quæ in tertia ſpecie ſunt, in eo exiſtūt, quod perfectionem iam habent. Albedo enim & temulentia ſtabiles et iam perfectę atq; abſolutæ qualitates ſunt. *Inter.* Sed quo modo in prima ſpecie caliditates & frigiditates, & morbum & ſanitatem inter diſpoſitiones enumerauit: nunc uero quaſi diuerſa ab ea ſpecies ſit, caliditatem & frigiditatem affectiuam qualitatem eſſe inquit? *Reſp.* Quia illic calidum & frigidum ex eo quod diſpoſitum quodam modo quicpiam eſſet, licet non ſtabiliter, diſpoſitiones uocauit: hic uero affectiuas qualitates ex eo nuncupat, quod affectionem in alia inducant. Nihil abſurdi autem res in ſe habet, ſi idem alio atq; alio modo ſumptum alterius atq; alterius ſpecies ſit. Exempli gratia pater, quatenus eſt Socrates, ſubſtantia eſt, quatenus pater, ad aliquid. Ita caliditas, in eo quod ſubiectam rem quodam modo diſponit, diſpoſitio eſt: ſi permanens ita euadat, ut difficulter tolli queat, eſt habitus: in eo quod ſenſu appropinquantem calefacit, affectiua qualitas eſt. *Inter.* At temporaria calefactio cum ſit affectio, eſt ne idem quod diſpoſitio? *Reſp.* Ea quidem quæ ab habente corpore in alterum inducitur, dum calefit, diſpoſitio eſt. Quæ uero ita caleſcentis eſt, ut aliud corpus calefacere tamen nequeat, eſſe affectio dicenda eſt: ita ut affectionis incrementum ſit diſpoſitio: quæ quidem eſſe etiam affectiua qualitas uidetur: diſpoſitionis autem incrementum habitus, & maxime affectiua qualitas ſit.

Quarta qualitatis ſpecies figura & forma, & quo modo figura alio modo qualitas, alio quantitas ſit.

Interrogatio.

QVarta qualitatis ſpecies quænam eſt? *Reſp.* Figura, & uniuſcuiuſq; rei forma. *Inter.* Quidnam eſt figura? & quo pacto a geometris diffinitur? *Reſp.* Figura eſt, quę ab

aliqua, uel ab aliquibus lineis continetur. *Inter.* Nunquid ſpatium aliquod quatenus ab una, uel tribus, uel quatuor lineis continetur, qualitas eſt? in eo uidelicet ꝙ a tot lineis comprehenditur? *Reſp.* Minime. Id enim cum ex multitudine conſtet, quantitas potius eſſet, ꝙ qualitas. *Inter.* Sed cur tu figuram in qualitate conſtituiſti? *Reſp.* Quia non abſolute ita conſideratur, quatenus trium linearum numerus figuram conſtituit: ſed quatenus lineæ ita inter ſe locatæ ſunt, atq; angulos efficiunt. Quando enim lineę ad angulos tres coniunctę ſpatium quoddam intra ſe comprehenderint, & terminauerint, triangula euadit figura, quæ qualitas eſt: non in eo ꝙ tres habeat lineas, ſed in eo ꝙ ex tribus lineis, tribuſq; angulis forma quędam exiſtat, quæ quidem non colore ullo prorſus, ſed tali quadam ſuperficiei figuratione conſideretur. Sic quoq; ſubiecta ſuperficie circulariter terminata extat circulus. Eſtq; qualitas circulus, & triangula figura, & quadrangula: quin cætera etiam omnia geometrica in unam qualitatis ſpeciem reducuntur. Quæ etiam in fine enumerat Ariſtoteles. Linea igitur quoq; ſi ut longitudo carens latitudine conſideretur, eſt quãtitas: ſi quatenus eſt recta, uel curua, qualitas. Superficies item quantitas eſt, quatenus eſt ſuperficies: in eo uero ꝙ eſt plana, ad qualitatem referenda eſt.

Quæ forma qualitatis ſpecies ſit.

Interrogatio.

SEd de figura quidẽ quo pacto ſumpta qualitatis ſpecies ſit, ſatis declaraſti. Quocirca quo modo forma etiam ſit qualitas, demonſtra. *Reſp.* Forma duobus modis apud Ariſtotelem dicitur: uno enim ſignificato ſubſtantiales formæ ita appellantur: altero ea, quæ ex ſubſtantialibus formis in ſuperficiebus expreſſa exiſtunt. Quo quidem ſignificato pulchrę & formoſæ ſpecies abſq; ullo ſubſtantialium contactu dici conſueuerunt. Forma igitur hoc modo ſumpta, perinde ac figura qualitas eſt. *Inter.* Quaſnam alias qualitates dixiſti? *Reſp.* Rectitudinem & curuitatem, & quicquid ſimile his eſt. *Inter.* Quænam alia ſimilia his ſunt? *Reſp.* Spirata, turbinata, lenticulata, atq; huiuſcemodi cæteris figuris prædita. *Inter.* Vnde has qualitates eſſe conſtat? *Reſp.* Inde, ꝙ cum aſſignata qualitas ea ſit, ex qua quæ denominantur, qualia ſunt: ſi ab ijs quæ ſuperius diximus, denominata ſunt qualia, qualitates has a quibus denominantur, eſſe perſpicuum eſt.

Cur raritas & denſitas, aſperitas & lęuitas non ſint qualitates.

Interrogatio.

AT uero ſi denominata ab aliquibus qualia eas eſſe qualitates oſtendunt, ex quibus denominatur: a raritate autem rarum, & a denſitate denſum dicitur: & a læuitate item læue, et ab aſperitate ſimili modo aſperum denominatur: qua de cauſa etiã raritatem & denſitatem & læuitatem & aſperitatem qualitates eſſe non aſſeramus? *Reſp.* Quia huiuſcemodi ſubiectorum differentiæ efficiunt, ut quodam modo hæc ſe habeant: neq; ex qualitate appellationem ipſis pręſtant, ſed ex eo potius ꝙ poſitione quadã in ipſis his formis conſiderantur. Quippe cum denſa dicantur eo ꝙ partes ita prope inter ſe ſitas habeant, ut nullum aliud diuerſi generis corpus incidere inter ipſas queat: ſicut in auro & ferro, atq; huiuſmodi corporibus cæteris conſpicitur. Rarum autem econtrario, eo ꝙ ita partes eius inter ſe diſſideant, ut diuerſi generis corpus aliud penetrare inter ipſas poſſit: cuiuſmodi ſunt ſpongiæ, & pumex, & lana. Lęue item eſt id, cuius partes ex æquo ita collocatæ inter ſe ſunt, ut alia aliam nullo modo excedat: ſicut aſperum contra, cuius partes talem habent ſitum, ut altera alteri ſupereminteat: quem in modum ſerræ partes ſeſe habent. *Inter.* Quidnam ex his diffinitionibus colligis? *Reſp.* Quidnam aliud, ꝙ ꝙ raritas & denſitas, læuitas & aſperitas poſitionum ſpecies ſint. *Inter.* Sed hoc facit, ne qualitates propterea eſſe cenſeantur? *Reſp.* Multum ſane. Nam cum poſitionem prędicamenti ad aliquid eſſe oſtenderit, ſi rarum & denſum, lęue & aſperum poſitiones quędam ſunt, in prędicamento ad aliquid etiam ipſa, & non in qualitate erunt conſtituenda. *Inter.* Nunquid ſolæ hæ quatuor ſpecies qualitatis ſunt? *Reſp.* Fortaſſe. *Inter.* Cur dixiſti fortaſſe? *Reſp.* Quia Ariſtoteles dixit, Fortaſſe igitur alius etiam modus qualitatis eſſe uideretur. *Inter.* Sed ubinam de his inquiſiuit? *Reſp.* In libris, quos μετὰ τὰ φυσικὰ, hoc eſt poſt naturalia inſcribit. *Inter.* Cur hic exactam de hac re conſiderationem omiſit? *Reſp.* Propterea ꝙ elementalem hanc prædicamentorum traditionem ad introdu-

endos, poſt naturalia uero ad eos qui inſtructi iam eſſent, conſcripſit.

In quibus qualitas nomen non habeat, ſed qualeue/ non quale, ſed qualitas.

Interrogatio.

SEd cur dixit, Ac qualitates quidem antedictæ ſunt: qualia uero ea quæ ex his denominatiue, uel quocunq; alio modo dicuntur? qua de cauſa adiunxit, uel quocunq; alio modo dicuntur? *Reſp.* Quia uſus interdum uariat. *Inter.* Quo pacto? *Reſp.* In nonnullis tam qualitas ipſa, q́ quale nomen habet, ut grammatica quę eſt qualitas, & grammaticus qui qualitate ea eſt prædıtus: & cætera huiuſmodi, quæ utraq; nominibus exprimuntur. In quibuſdam aut quale tãtummodo, & non qualitas, aut tantum qualitas & non quale nomine exprimi poteſt, cuiuſmodi ea ſunt, quæ in ſecundam qualitatis ſpeciem referuntur. Aptitudini enim naturali cum nomen nullum impoſitũ ſit, pugillatorius tamen, & curſorius, & ſalubris, non ex ea quidem qualitate quam iam habent, ſed ex ea quam ſunt habituri, ita uocari conſueuerunt: quippe cum ex pugillatoria ſcientia pugiles, ex luctatoria luctatores dicantur. Ex ui autem & facultate pugillatorij & luctatorij non denominẽt̃, ſed ex eo q idonei ad ſuſcipiendas ſcientias ſint: ut ex ſpe appellationem huiuſmodi habere uideantur. Quia enim ubi ſcientiam adepti fuerint uel pugiles, uel luctatores fore ſperamus, illos pugillatorios, hos luctatorios nuncupamus. Atque hi quidem licet qualitas nomen non habeat, quales ita appellantur. Alia ſunt in quibus qualitas nominata eſt: ab ipſa uero quales aliqui non dicunt̃. Cum enim optimus habitus ἀρετῆς hoc eſt uirtutis nomine cenſeatur, ab ipſa non denominat̃ quiſpiam. neq; enim ἀρεταῖος .i. uirtuoſus in uſu eſt: neq; ἐνάρετος: cum neq; ἐγγράμματος .i. literatus ſeu qui literis conſtat, de eo dici conſueuerit, qui qualitate grammaticæ prædıtus ſit. Sed a uirtute σπουδαῖος .i. ſtudioſus & honeſtus, uel probus dicitur. Adde q quecunq; alio modo etiã illa dici cenſenda ſunt, quæ licet denominentur, non proprio tamen modo dici uidentur: cuiuſmodi eſt a iuſtitia iuſtus .i. ἀπὸ τῆς δικαιοσύνης δίκαιος: δίκαιος enim proprie ab eo quod eſt δίκη, deducitur. item a temperantia temperans .i. ἀπὸ τῆς σωφροσύνης σώφρων, & non σωφρόσυνον quaſi temperantiũ dicas: ſicut ἀπὸ τῆς εὐφροσύνης εὐφρόσυνον .i. a lætitia lætum. Quin in alijs quoq; multis uarietatem atq; inęqualitatem reperire huiuſmodi poſſumus.

Contrarietatem ineſſe in qualitate, ſed non omni, neq; ſola.

Interrogatio.

QVoniam in alijs prædicamentis & quæ eſſent communia cum alijs, & quæ propria uniuſcuiuſq;, inquiſiuit: nunquidnam idem quoq; hic facit? *Reſp* Facit ſane. *Inter.* Quo pacto? *Reſp.* Ineſſe enim inquit etiam contrarietatem in quali. *Inter.* Sed cur dixit, etiam contrarietatem, et non contrarietatem tantummodo abſq; coniunctione illa etiam? *Reſp.* Quia alia quoq; in qualitate ineſſe oſtendit. Præter alia igitur, ſciendum eſſe ait, contrarietatem etiam ipſi ineſſe. *Inter.* Nunquid omni & ſoli qualitati contrarietas ineſt? *Reſp.* Minime. Soli enim non ineſſe ex eo perſpicuum eſt, q ijs etiam ineſt quæ ſunt ad aliquid: non omni uero, inde conſtat, q neq; illi ſpeciei ineſt quæ figura conſtat: neq; rubro & uiridi, aut cuiq; ex huiuſmodi coloribus, qui medij ſunt, ſed nigrum tãtum & album contrarietatem inter ſeſe habent. *Inter.* Quo modo figuris nullum eſt contrarium? *Reſp.* Quia neq; triangulæ, neq; quadrangulæ, neque alteri alicui figuræ reperiri aliquid contrarium poteſt. *Inter.* Nunquid ijs quæ ex qualitatibus admittentibus magis & minus ſunt qualia, aliqua eſt contrarietas? *Reſp.* Eſt quidem. Vt iuſtitiæ iniuſtitia, & albo nigrum. *Inter.* Nunquid ſi alterum eſt quale, eſſe etiam alterum neceſſe eſt? *Reſp.* Prorſus. Nam ſi iuſtitia contraria iniuſtitiæ eſt, & eſt qualitas, iniuſtitiam quoq; qualitatem eſſe omnino oportet. *Inter.* Sed cur dixit, iuſtitia iniuſtitiæ contraria eſt, & iniuſtum iuſto: & non ſimili modo iuſtum iniuſto? *Reſp.* Quia nonnulli erant, qui iniuſtitiam contrariam eſſe iuſtitię non concederent, ſed contrarium ei eſſe habitum aſſererent, qui nomine careret, iniuſtitiam uero priuationem eſſe, non habitum dicerent: propterea q habitus affirmatiue, priuationes negatiue eſſent appellandæ. *Inter.* Nunquid recte dicunt, qui ita ſentiunt? *Reſp.* Nequaq;. Nam ſæpe habitus priuatiue appellare conſueuimus: ſicut temperantiæ contrarium habitum intemperantiam, & prudentiæ imprudentiam, & liberalitati illiberalitatem, & pietati impietatem dicimus: & econtrario priuationes affirmatiuo uocabulo pronunciamus: cuiuſmodi eſt

cæcitas, ſurditas, atque alia id genus.

Quo modo priuationis genus inquirendum ſit.

Interrogatio.

SI quæramus in huiuſcemodi contrarietatibus in quo genere unaquæq; priuatio ſit, qua uia utendum nobis erit? *Reſp.* Sumemus oppoſitum eius quod quæritur, quod notius eſt: & conſiderabimus quo in prædicamento contineatur: quod ubi conſtabit, eius quoq; contrarium in eodem erit ſtatuendum. Exempli cauſa, ſi quiſpiam quærat cuius prędicamenti ſit iniuſtitia, iuſtitiam ſpectabit. eſt autem iuſtitia qualitas: iniuſtitia igitur etiam qualitas erit. Simili modo in cæcitate erit faciendum. cuius prædicamenti ſit uiſio, inſpiciemus: quæ ſi fuerit qualitas, qualitatem quoq; eſſe contrariam ipſi cæcitatem neceſſe erit.

Quę qualitates magis & minus ſuſcipiant.

Interrogatio.

QVoniam in ſuperioribus prędicamentis de ſuſceptione magis & minus dictum fuit: nunquid qualitas quoque magis & minus admittit? *Reſp.* Admittit quidem: ſed neque ſola, neq; omnis: nã & nonnulla etiam ex ijs quę ſunt ad aliquid, id admittebãt, ut magis & minus dicerentur: & circulus aut triangulus aut quadrangulus nec magis, nec minus, aut circulus, aut triangulus, aut quadrangulus dicitur. Adde quod neq; perfecta uirtus, neq; perfecta ars id admittit. Multæ tamen qualitates ſunt, quæ etiam magis & minus dici poſſunt. album enim & nigrum magis & minus aliud alio dici manifeſtum eſt. *Inter.* Clarius & diſtinctius explica an qualitates, & quæ ab ipſis qualia denominantur, magis & minus ſuſcipiant. *Reſp.* Sed quo pacto diſtincte quicpiam hac de re poteſt difiniri, in qua opiniones plures ſunt? Alij enim ſunt, qui & habitus omnes materiarum, & qui quales ab ipſis dicuntur, intendi, ac remitti aſſerant: quali ipſa quoq; materia magis & minus ſit. Huius ſententiæ nonnulli Platonici extiterunt. Alij quoſdam habitus, & qui ex ipſis nominarentur quales, magis & minus non admittere exiſtimabãt: quoſdam uero admittere: cuiuſmodi ſunt artes omnes, & mediæ qualitates, & qui ab ipſis nuncupãtur. Cuius opinionis fuerunt Stoici. Tertia opinio fuit, cuius Ariſtoteles etiam meminit, eorum qui habitus quidem intentione & remiſſione omni carere aiebãt, ſed qui dicerentur quales, magis uel minus eiuſmodi eſſe poſſe, neq; id tamen omnes. *Inter.* Sed quo pacto huiuſce ſectę mentionem feciſſe Ariſtotelem inquis? *Reſp.* Vbi ait: Nonnulli enim hac de re altercantur: qui iuſtitiam quidem iuſtitia non magis uel minus dici, neq; ſanitatem ſanitate concedunt: magis tamen uel minus alterum altero uel ſanitatis, uel iuſtitiæ habere poſſe non negant, ut uel ſanior uel iuſtior dicatur. Triangulum uero & quadrangulum, neq; quampiam ex alijs figuris admittere magis uel minus perſpicuum eſt. Quæ enim trianguli aut circuli rationem admittunt, ea omnia ſimili modo aut triãguli ſunt, aut circuli: quæ uero non admittunt, nulla alterum altero dici magis uel minus poſſunt. Nihilo enim magis quadrangulus q; altera parte longior figura, eſſe circulus poteſt: cum neutrum circuli rationem admittat. *Inter.* Nunquid hanc de intentione & remiſſione in qualitatibus & qualibus opinionẽ approbas? *Reſp.* Profecto quidem. *Inter.* Quid uero? Qui immateriales quę per ſe ſunt qualitates magis & minus non admittere, materiales uero omnes, & qui ex ipſis quales dicuntur, admittere aſſerunt, nunquid recte tibi uidentur ſentire? *Reſp.* Minime. *Inter.* Qua de cauſa? *Reſp.* Quia qualitates immateriales, & quæ per ſeſe exiſtunt, ne qualitates quidem prorſus ſunt, ſed ſubſtantiæ: ac propterea quia neq; alijs ullis ſubſtantijs id accidit, magis & minus admittere nequeunt.

Qua regula in exploranda ſuſceptione magis & minus vtendum ſit.

Interrogatio.

SEd quamnam in uniuerſum normam Ariſtoteles nobis præſcribit, qua quidnam magis & minus admittat, & quid nõ admittat, explorare ualeamus? *Reſp.* Illam ſane, q quæcunq; propoſitæ rei rationem non admittunt, ea magis & minus eiuſmodi dici non poſſint. Verbi cauſa: neq; triangulus quadranguli, neq; quadrangulus circuli rationem admittit: iccirco incidere non poteſt, ut inter hæc magis uel minus reperiatur. Indumentum uero, & nix, & multa alia, quia rationem albi in ſe admittant, nihil uetat quo minus, uel magis, uel minus al-

bã etiam dicantur. *Inter.* Nunquid omnia quæ eandem rationem admittunt, magis & minus dici queunt? *Reſp.* Nequaquam. Quippe cum omnes particulares homines, rationem hominis admittant, & tamen propterea non fiat, ut homo homine magis & minus uel dicatur quiſpiã, uel ſit. At illud pro certo tamen habeatur, quod eandem rationem non ſubit, id ut magis uel minus dicatur, fieri nullo modo poſſe: eo ꝙ ad ſimilia, non ad diuerſa fieri comparationes quæ per magis & minus exiſtunt, omnino debeant.

Proprium qualitatis eſſe ſimile & diſsimile dici.

Interrogatio.

AT enim ſi neq; hoc qualitatis proprium eſt, quidnam eſſe cenſendum eſt? *Reſp.* Simile & diſſimile. quippe cum ſolis qualitatibus hoc accidat, ut ex ipſis ſimile uel diſſimile eſſe alterum alteri dicatur. Quapropter ut ſimiles uel diſſimiles dicamur, qualitatis ſine ullo dubio proprium eſt.

Habitus quo modo eſſe & qualitas, & ad aliquid poſsit.

Interrogatio.

SEd dubitare quiſpiam poſſet quo pacto cum eorũ quę ſunt ad aliquid, ſpecies enumerans, habitus etiam inter ipſas repoſuerit: hic qualitatis primam ſtatim ſpeciem eſſe habitum & diſpoſitionem dicat. Habitus enim hoc modo duorum prædicamentorum, & qualitatis, & ad aliquid eſſe uideretur. Quod ſi eſſet, efficeretur, ut unus & idem habitus diuerſas ſpecie differentias admitteret: propterea ꝙ diuerſorum generum, & eorum quæ ſubalternata non ſunt, diuerſę etiam ſpecie differentię ſint. Inuenienda igitur ratio aliqua eſt, quę huiuſcemodi dubitationem diſſoluat. *Reſp.* Sed Ariſtoteles quoq; hoc turbaturum eſſe multos animaduertit: atq; iccirco duas dubitationis huius ſolutiones adduxit. *Inter.* Quaſnam? *Reſp.* Vnam quidem, ꝙ multa differentia eſt, ſi in genere, aut in particulari tale quicpiam dixerimus. Genus enim eſt ſcientia, ſpecies grammatica: indiuiduum autem Ariſtarchi grammatica. Scientiã igitur quæ ſpeciales omnes & particulares ſcientias excedit, habitumq; eius, ad aliquid eſſe dictum eſt: ſpeciales uero, atq; etiam magis indiuiduas & particulares, qualitates. Nam indiuidua grammatica quæ eſt Ariſtarchi, & indiuidua muſica Ariſtoxeni, indiuidua item medicina Hippocratis qualitates cum ſint, ad aliquid eſſe nullo modo poſſunt. Qualitates autem eſſe perſpicuum eſt, propterea ꝙ ex ipſis quales dicuntur. qualitates uero illæ erant, ex quibus quales denominabantur aliqui, aut quocunque alio modo dicebantur. At ſi ipſas ad aliquid eſſe quiſpiam dicat, id quantum ad genus ipſarum attinet, intelligendum erit. quippe cum grammatica alicuius ſcientia eſſe dicatur, non grammatica Ariſtarchi grammatica: nam ſi ita eſſet, facere etiam reciprocationem poſſemus, & dicere: Ariſtarchus eſt grammaticæ Ariſtarchus. Genus igitur, hoc eſt ſcientiam eſſe ad aliquid dico: eſt enim ſcientia ſcibilis rei ſcientia: & ſcibile ſcientia ſcibile: particulare autem hoc eſt Ariſtarchi grammaticam non eſſe amplius ad aliquid, ſed qualitatem: propterea ꝙ & Ariſtarchus, & unuſquiſque qui particularem ſcientiam habet, non a generali ſcientia, ſed a particulari denominetur: Ariſtarchus a ſua grammatica, item a ſua muſica Ariſtoxenus, & cæteri etiam ſimili modo a proprijs ſcientijs, quæ particulares ſunt. *Inter.* Sed una quidem hæc eſt ſolutio, quam attuliſti. cum duas autem eſſe dixeris, reſtat, ut alteram quoque adducas. *Reſp.* Dicendum igitur eſt, ſi quiſquam eſt, qui hanc non admittat, illam admittere omnino debere: cum dicimus, nihil, prohibere, quin una & eadem res in duobus prædicamentis conſtituatur. id enim abſurdum non eſt: ſed ſi idem in eo ꝙ eſt idem, in duo diuerſa prædicamentorum genera, non ſubalterna referatur. idem enim in alio atq; alio ſignificato ſumptum in diuerſis ſtatui prædicamentis ſine ulla abſurditate optime poteſt. Quippe cum etiam ipſe Socrates multa eſſe demonſtrari non difficulter queat. ſubſtantia enim eſt, quatenus eſt homo: quatenus autem eſt tricubitalis, ſi ita inciderit, eſt quantus: in eo uero ꝙ eſt pater, eſt ad aliquid: in eo ꝙ eſt temperans, qualis eſt: atq; ita in alia atq; alia diuerſa prædicamenta reducitur. Quod ſi Socrates cum unum & idem ſit, alio atq; alio modo ſumptus in diuerſis prædicamentis reperitur: quid abſurdi eſſe debet, ſi habitus alia ratione ad aliquid, alia eſſe qualitas dicatur? Sed quatuor hucuſque prædicamenta iam pertractauit, quæ maiorem inquiſitionem exigere uidebantur.

DE FACIENDO ET Patiendo.

Interrogatio.

RELIQVA autem quænam ſunt? *Reſp.* Facere, pati, ſitum eſſe, quando, ubi, & habere. *Inter.* Sed quidnam? Hæc ſex nonne etiam ipſa diputationes aliquas, & dubitationes admittunt? *Reſp.* Admittunt quidem: ſed ijs qui mo do diſcere incipiunt, ſatis eſt, ſi ea quæ iam diſputata ſunt, optime perceperint, & hæc quæ ſequuntur, ita ſummatim tenuerint, ut ad ipſa redigere unumquodque ex ſimplicibus ualeant. Nam de faciendo & patiendo in libris de generatione & corruptione copioſe pertractauit. De quando uero, quod tempus ſignificat, & de ubi, quod ad locum attinet, in naturalis audientiæ libris, ubi de loco & tempore agit, omnia perquirit. Quin etiam de omnibus his rem exequitur in ea tractatione, quam μετὰ τὰ φυσικά .i. poſtnaturalia inſcripſit. Nunc autem cum facere, uerbi cauſa urere, operationem: pati uero, hoc eſt uri affectionem ſignificare perſpicuum ſit: facere & pati contrarietatem admittere aſſerit: quippe cum calefacere & frigefacere, necnon calefieri & frigefieri, lętari item & triſtari contraria inter ſe proculdubio eſſe conſpiciantur. *Inter.* Sola ne igitur contrarietas ipſis accidit? *Reſp.* Non ſane: ſed magis etiam & minus, & moleſtare & moleſtari quiſpiam poteſt: ita ut facere magis & minus, & pati ſimili modo contingat.

DE EO QVOD EST SITVM ESSE.

Interrogatio.

SED hęc quidem hactenus de faciendo & patiendo dicta ab Ariſtotele ſunt. De eo uero quod ſitum ſeu poſitum eſſe ſignificat quid dices? *Reſp.* Illud profecto, ꝙ poſitionem eſſe ad aliquid demonſtratum iam ſit, poſitum uero ſeu ſitum eſſe denominatiue a poſitione eſſe dictum: quippe quod non in prædicamento ad aliquid ſit, ſed in eo quod ſitum eſſe ſignificat. *Inter.* Apertius expone, quod inquis. *Reſp.* Poſitio quidem cum alicuius ſit poſitio, ad aliquid proculdubio eſt. Vnde etiam recubitus, ſtatio, & ſeſſio, quæ ſunt poſitiones, ad aliquid etiam ipſæ erunt. Sed ea tamen quæ ab his dicuntur denominatiue, quod eſt, recubare, ſtare, ſedere, ad aliquid non ſunt. Iccirco neque ſunt poſitiones, ſed a poſitionibus denominatiue appellata: atque ita in alio genere collocantur, quod eſt ſitum eſſe.

DE EO QVOD EST, QVANDO, *& vbi, & habere.*

Interrogatio.

RESTANT adhuc tria prędicamenta, quando, ubi, & habere: de quibus nihil dici hic ab Ariſtotele manifeſtum eſt. Tu uero de ipſis quid habes, quod dicas? *Reſp.* Quidnam aliud, q̃ ꝙ ſicut ea quę ſunt ad aliquid, non ad ipſas res ſpectant, quæ prima ratione conſiderantur, ſed perinde atq; appendices ipſis agnaſcũtur, ac ſuperueniunt: ita quoque in ijs quæ quantitati, & ſubſtantiæ ſubiectæ ſunt rebus quando & ubi & habere ſuperexiſtere conſueuit. Nam neq; ſi locus & tempus non ſit, quæ ſunt quantitates, ubi & quando exiſtere ullo modo poterunt: licet neque tempus quando, neq; locus ubi ſit: neq; ſi tollatur ſubſtantia, haberi quicpiam ab aliquo poterit. Sicut enim quando ſubſtantiæ ad tempus, & ubi ſubſtantiæ ad locum, ita habere ſubſtantiæ ad ſubſtantiam relationem ſignificat.

FINIS.

Digitized by Google

DEXIPPI PHILOSOPHI PLATONICI IN PRAEDICAMENTA ARISTOTELIS QVÆSTIONVM LIBRI TRES.

IOANNE BERNARDO FELICIANO INTERPRETE.

Primi libri capita.

CVR multi in prædicamenta Ariſtotelis dubitationes conſcripſerint. 1.
Cur librum hunc prædicamenta inſcripſerit. 2.
Quidnam prædicamentum ſignificet, uocemne, an rem. 3.
Quo pacto prædicamenta inuenire, & non ſuccumbere Stoicorum dubitationibus debeamus. 4.
Cur cum de prędicamentis diſputare propoſuerit, non ſtatim ab illis exordium ſumpſerit, ſed de æquiuocis & uniuocis prius agat. 5.
Cur Archytas in dictionibus uniuerſalibus de æquiuocis, & uniuocis, & denominatiuis nihil dixerit. 6.
Cur non omnia quæ utilia ad prædicamenta erant, antepoſuerit: ſed alia poſt prædicamentorum traditionem ſubiungenda cenſuerit. 7.
Cur primum de æquiuocis differat. 8.
Cur non potius de ęquiuocatione dixerit. 9.
Cur adiunxerit ſolum, ubi inquit, quorum nomen ſolum commune. 10.
Cur cum multa æquiuocis communia ſint, de nomine tantum commune dixerit. 11.
Quod neque quantum ad commune indiuiſile, neque quantum ad diuiſibile attinet, æquiuocis nomen commune ſit. 12.
Alia dubitatio de communi. 13.
Quod ſuperuacaneæ adiunxerit, ratio autem ſubſtantiæ iuxta nomen diuerſa. 14.
Cur non dixerit, diffinitio ſubſtantię, ſed ratio. 15.
Quod æquiuoca poſſint eſſe uniuoca. 16.
Quo modo cum uniuocum in omnibus prædicamentis conſideretur, ratio ipſius æquiuoca quæ in ſola ſubſtantia ſunt, circunſcribat. 17.
Cur poſt æquiuoca uniuoca ſtatuerit. 18.
Quod quæ cum complexione, & ſine complexione dicuntur, errata ſint. 19.
Quod ex deſcriptione eius quod eſt in ſubiecto, corpus eſſe in loco & tempore tanquam in ſubiecto poſſit. 20.
Quod quæ in ſubiecto ſunt partes ſubſtantiæ eſſe reperiantur. 21.
Quod ratio eorũ quę ſunt in ſubiecto, cõmunis etiam illis ſit quæ in ſubiecto non ſunt. 22.
Quod odores cum ſint qualitates & in ſubiecto, ſeparabiles ſint. 23.
Dubitationes cõplures de proprietate eorum quæ de ſubiecto dicunt, & earundẽ ſolutiones. Cur item homo de Socrate dicatur: ſpecies uero non ita. 24.
Quo modo quaſdam, & quo modo omnes, & quales utroq; modo dicat prędicari differentias & eius quod prædicatur, & eius quod ſubijcitur. 25.
Quod nonnulla licet ſint genera diuerſa, eaſdem tantum differentias habeant. 26.
Dubitationes de diuerſo genere. 27.
Quid ſit species, & quid differentia: quo pactoq; a ſe mutuo diſtent. 28.
Vnde generis, & ſpeciei, & differentiæ inuentio ſuppetat. 29.
Quo pacto dixerit, diuerſæ ſpecie etiam differentiæ. 30.
Quo pacto indiuiduum, & unum numero dicatur. 31.
Quo pacto unus & indiuiduus ab uno & indiuiduo numero poſſit differre. 32.

Quod prædicamentorum diuiſio non redundet. 33.
Quod prædicamentorum diuiſio non deficiat. 34.
Quod alia loco aliorum prędicamentorum genera non introducat. 35.
Quod ens non æquiuocum ſit, ſed uniuocum. 36.
Quod eſt uel de unoquoque prædicamento prædicaremus, & ita in infinitum progrederemur: uel ſi ab ente declinatum eſt ac deductum, ens genus ſit. 37.

DEXIPPI PHILOSOPHI PLATONICI IN ARISTOTELIS PRÆDICAMENTA QVÆSTIONVM LIBER PRIMVS.

Seleucus.

ETSI pudor quidam me deterret, o doctiſſime præceptor Dexippe, dum honeſtum admodum & egregium a te petere beneficium ſtudeo: quia tamen Heſiodo fidem adhibeo, qui ait, Nam pudor haud bonus eſt homini quãdo indiget ulli, eo dimiſſo tecum agere fidenter uolo. *Dexippus.* Sed ego equidem iamdudum mirabar o bone Seleuce, ꝙ cum iſta etate eſſes, docilitate & modeſtia ita prẹſtares, ut ſtudioſiſſime ad diſcendum uentitares, & quæ didiciſſes, ſtabiliter conſeruares: ſolertia uero & acumine ingenij ita eſſes incitatus, ut longo interuallo in interrogationibus omnibus alijs antecelleres. Quocirca tibi nunc ita diſcendi cupido obſequi in omnibus paratus ſum. Nam licet ex ijs quæ ad bonam fortunam ſpectant, nihil tibi deeſſe uideatur, & genere & gloria ita clareas, ut noſtrę huius cõditionis alius nemo: animi tui tamen ad bona & honeſta omnia propenſionem pręcipue admirandam duco: & ꝙ cæteris externis contemptis eruditionis, & diſcendi inſatiabili quodam deſiderio tenearis. Icciro quicquid cupis, quod ad literas attineat, iubere ne uerearis. *Seleu.* Explica igitur quæ de prædicamentis Ariſtotelis uenire in quæſtionem conſueuerunt, eorũque ſolutiones ſubiunge. *Dexip.* Magnum quidem eſt quod iubes o cariſſime Seleuce, quodq; non facile perfici a me in præſentia queat: cum & caſus recens ſapientis & honeſtæ filiæ meæ perq; moleſtus mihi acciderit: & corpus etiam morbis iam contabuerit. libenter tamen tibi obtemperabo: modo mihi e longinquo non ſecus ac timidi certatores facere ſolent, confiteri illud liceat, difficile admodum eſſe Plotino Platonico philoſopho poſſe contradicere, qui adeo ſubtiles ac profundas dubitationes adduxit. Tametſi cum dijs etiam, ut Homericus ille heros, cauſa tua congredi non recuſabo. Tu tamen diſputationem meam adiuuabis, ſi particulares explanationes minime requiſiueris: quippe cum multa in hunc librum commentaria cum multi alij, tũ uero Porphyrius, & deinde Iamblicus conſcripſerint, tam profundita te ꝙ copia perceptu perq; difficilia. Ne igitur idem quod illis nobis etiam contingat, & tu ea tantum quæ in dubium ueniunt, requires: & ego ita reſpondebo, non quaſi deficiens aliquid adiungere cogitem: nõ enim ita inſanio: ſed ut & apertas & breues ſolutiones cito ſubijciam. Nam qui quæſtiones has percipere uolet, oportebit, ut is prius ipſam prædicamentorum tractationem exacte intelligat: alioqui ex ijs quæ hic dicentur, percipiet nihil.

Cur multi in prædicamenta Ariſtotelis dubitationes conſcripſerint. Cap. I.

Seleucus.

QVid in cauſa fuit, cur ueteres philoſophi multas & uarias inter ſe altercationes habuerint ſuper hoc Ariſtotelis libro, quem prędicamentorũ appellamus? Animaduerti.n. nullam aliam

Iam aliam fere tractationem eſſe, de qua plures controuerſiæ, maioreſq; contentiones extiterunt, non Stoicis tantum, & Platonicis, qui Ariſtotelis prædicamenta nituntur labefactare, ſed inter ipſos etiam Peripateticos: dum alij ſententiam auctoris magis aſſecutos ſe eſſe arbitrantur: alij dubitationes ab alijs illatas diſſoluere ſe expeditius putant. *Dexip.* Id propterea mihi uidetur incidiſſe o ſtudioſiſſime Seleuce, quia propoſitum libri huius eſt de primis & ſimplicibus uocibus, ijſq; quæ ab ipſis ſignificantur. Cum igitur oratio omnibus philoſophiæ ſpeciebus perq; utilis ſit, orationis uero principia ſint uoces, & quę a uocibus ſignificantur, merito effectum eſt, ut dubitantium recte necne de his pertractarit Ariſtoteles, tot exortæ contentiones fuerint.

Cur librum hunc prædicamenta inſcripſerit. Cap. 2.

Seleucus.

SEd quid ſibi uult libri inſcriptio, nomenq; hoc τῶν κατηγοριῶν? Non enim ſcilicet diſſerere inſtituit, quo pacto homines in iudicijs ſe mutuo accuſent: quippe cum accuſationi cui opponi defenſio conſueuit, nomen hoc κατηγορίας græcorum lingua impoſitum ſit. Qua re merito in hoc uideretur eſſe reprehendendus, q uerbis præter conſuetudinem abutatur. *Dexip.* Huic quidem criminationi o Seleuce occurri pro Ariſtotele multis modis ſolet: ſicut ex Alexãdri & Porphyrij libris colligere poſſemus. ſed mihi uideor recte facturus, ſi pleriſq; omiſſis eam tantum reſponſionem expoſuero, quæ profundior mihi eſſe uideatur. Nomina profecto rebus ipſis non adæquantur: neq; eandem habent naturam, eundemq; ordinem ea quæ ſignificantur cum ijs quæ ſignificant: ſed a rebus nominum ſignificatio longe ſuperatur. Quocirca philoſophis qui rerum pleriſque ignotarum interpretes ſunt, neceſſe omnino eſt, ut uel nouis uerbis utantur, & ab uſu communi alienis: uel ſi conſuetis uti uelint, ea ad alia ſignificanda detorqueant. Nam cum nomina ſigna ſint quæ res ipſas indicent, neceſſe eſt, ut rebus omnibus notis impoſita nomina iam fuerint, quæ ipſas ſignificarent: quæcunque uero res ſunt, quæ ad ſcientias pertinent, eæ nominum impoſitionem a ſcientibus requirerent. Ita igitur Ariſtoteles quoq; interdum innouat quædam, ut in ἐντελεχείᾳ, hoc eſt perfectihabia, quam ipſe ſibi finxit: interdum ab ijs quæ in conſuetudine ſunt, ad ea transfert ſignificatum, quæ ad docendum propoſuit. Quemadmodum nunc in categorię nomine feciſſe conſpicitur. Cum enim κατηγορεῖν in eo ſignificato pleriq; uſurpent, ut de accuſatione ſumant, quę apud iudices fieri conſueuit: ipſe id ad ea tranſtulit, quæ abſolute de aliquo dicerentur. Inſcriptio itaq; ipſa categoriarum hoc eſt denuncupationum nihil aliud ſignificat, quã q genera & ſpecies & omnia uniuerſalia de ijs quæ ſub ipſis ſunt, dicantur, ac prædicentur. Significatiuæ item dictiones communes de omnibus ſubiectis particularibus dictionibus denuncupantur.

Quidnam prædicamentum ſignificet, uocem ne, an rem. Cap. 3.

Seleucus.

CAtegorias quidem hoc eſt prædicamenta ſeu denuncupationes ab eo fuiſſe nominatas q prædicentur & denuncupentur, hoc eſt de aliquo ſubiecto dicantur, recte ſimul & breuiter expoſuiſti. Nam recte etiam in eo mihi uideris ſenſiſſe, q ſi cuipiam alteri rei, breuitati pręcipue conſulendũ cẽſueris, ne in eaſdem, in quas priores illi, difficultates incideremus. Sed qa mihi adhuc in dubium uenit, quidnam ſit id quod dicatur, uox ne, an res, an nomen, id mihi plane adhuc coneris explicare. *Dexip.* Poteram quidem reſponſionem ita breuiter abſoluere, ut dicerem, quæ primo ſignificarentur, intellectus noſtri notiones eſſe: quæ ex accidenti uero & ſecundo, res. Quia tamen magna de ijs quæ dicuntur, quæſtio eſſe conſueuit, plura etiam ego diſſerere ſuper hac re non recuſabo. Soſigenes ſane peripateticus de ijs quæ dicuntur, inter ſe oppoſitas argumentationes ita eſt perſequutus, ut pares inter ſe pugnantes rationes omiſerit, non in unam partem magis propendere eius aſſertio uideretur. Quocirca ego uideor mihi non ab re facturus, ſi eius dubitationibus prius perpenſis ſententiam meam poſtea ſubiunxero. De rebus igitur ille dum probationes affert, ac res eſſe ea quę dicantur, aſſerere uult, huiuſmodi aggreſſione utitur. Si dicendi, & non dicendi dominium quodammodo obtinent res: dum enim nihil eſt, nihil dicimus, dum eſt aliquid, dicimus: res ipſæ eſſe ea quæ dicuntur, proculdubio debent. Huic rationi occurrere ita poſſumus, ut dicamus nihil uetare, quo minus res in cauſa ſint, ut aliquid dicamus, non tamen continenter ac proxime, id

quod nunc quærimus: quæ dicantur ea eſſe intelligentes, quæ proxime & inhærendo dicendi cauſam præbeant. Nam licet fabricandi cauſa, ſi ita incidat, inſolatio: dolendi item acu tacta punctio ſit: neque tamen inſolatio in febri, neq; acus in dolore ineſt. Ex cauſis enim aliæ ſunt extrinſecus ſeparabiles, aliæ ſimul inſunt. Quapropter optime fieri poteſt, ut res quamuis dicendi in cauſa ſint, non ſint tamen propterea ea quæ dicantur. quippe cum & de rebus non præſentibus, & de præteritis, & de futuris dicamus, quę tamen una cum dictione minime ſint. Quod ſi ſimul cum dicendo non ſunt, eſſe ea quæ dicantur, non poſſunt. Adde ꝙ dicere poſſumus etiam ea quę non ſunt, ut hippocentauros, & hircoceruos. Quin etiam inſani, & furentes multa dicunt. Vnde ſi res eſſent ea quæ dicerentur, & illi de rebus inſana ea dicerent, & nos dicere ea quæ non ſubſiſterent, nequiremus Pręterea ſi uera, inquit, & falſa ex rebus oratio eſt quæ dicitur, aliud eſſe quod dicatur, & aliud quod ueritatem & falſitatem efficiat, nullo modo poteſt. Quare ea quę dicunt̃, res ſunt, quæ integræ orationis cauſam afferãt. Miror ſane quo pacto uſus hoc argumẽto Soſigenes nõ aduerterit, ſi omnis oratio eſſet uera uel falſa, ſe uideri poſſe, res eſſe ea quæ dicerentur, confirmaſſe: ſed cum ſit aliqua oratio, quæ neq; uera ſit, neque falſa, cum de nulla ſubiecta re quicpiam dicimus: quo modo hac ratione effici quicq; poteſt? Deinde aliud eſt de re dicere, & de ea aliquam ueram uel falſam orationem cõſtituere. nunc uero quæ ſint ea quæ dicantur, in quæſtione eſt. Accedit ꝙ etiam ſi res in cauſa ſint, ut uera uel falſa oratio euadat, nõ propterea tamen neceſſario conſequitur, ut res ſint ea quæ ſignificentur. quippe cum eſſe poſſit, ut ex rebus, ſi modo conceſſerit quiſpiam, uera uel falſa oratio aliqua efficiatur, alia tamen ſint, quæ ab oratione ſignificentur. Non enim quoniam ueritatem uel falſitatem admittit oratio, ideo ex rebus uera uel falſa effecta eſt: ſed ex accidenti ipſi ineſt, ut uera uel falſa ſit: ex ſeſe autem & eſſentia ſua habet ut tale aliquid primo ſignificet. Sed ſunt adhuc, inquit, res, poſteaq; dictę fuerint, puta equus, & bos, & lapis, & cætera huiuſmodi. conſtat igitur hæc eſſe ea quæ ſignificentur: alioqui enim ubi ceſſauit oratio, non extarent. Immo e contrario dici poſſet, non eſſe res ea quæ dicantur, propterea ꝙ ad primas eas oratio non ſpectat: quippe cum oratio quæ de ipſis dicit, prætereat, res uero adhuc maneant. Nam ſi ea quæ ſignificantur, eſſent res, oporteret, ut ubi oratio pręterijſſet, neq; ipſæ amplius eſſent: uel contra ubi ipſæ præterijſſent, oratio non eſſet. At qui dicit, quiq; audit, adhuc, ſi ita inciderit, remanet: res uero ipſæ de quibus ſermo eſt, non ſunt. At uero ſi id quod facit, tunc neceſſe eſt eſſe, cum id patitur, quod afficitur: id quod dicitur quoque tunc ut ſit, neceſſe eſt, cum id quod audit, iam audit. Si uero qui dicit & qui audit, iam eſt, res autem non ſunt, cum de tranſactis iam rebus oratio habetur, qui fieri poteſt, ut res ſint ea quæ ſignificentur? Ac de rebus quidem hactenus. Si autem dictiones & uerba eſſe ea quæ dicantur, aſſerat quiſpiam: quippe quæ & a pluribus audiri, & eſſe ac dici, ſiue ſint res, ſiue non ſint, ſine dubio poſſint: dicendum eſt, aliud eſſe aliqua ſignificari, & aliud per aliqua. Si enim per uocem pronunciare idem eſſe exiſtimamus, quod dicere, dictiones ſane & uerba quia per uocem pronunciantur, erunt ea quæ dicantur. Si uero nominare uerbum, non eſt dicere, ſed per uerbum: aliud quid erit quod per orationem ſignificetur. At nunc quid ſit illud quod per orationem ſignificetur, nõ quid per uocem pronuncietur, in quęſtione eſt. Atenim ſicut, inquit, ingredi ingredientis, & ſcribere ſcribentis, ſic dicere dicentis eſſe operationem conſtat. Qui uero dicit orationes & partes earum dicit. Hæ igitur ſunt ea quæ dicantur. Ad hoc nos reſpondemus, aliud eſſe operationem, & aliud quod ab operatione efficiatur. non.n. ædificium idem quod operatio ædificantis, neq; pictura idem quod pictoris operatio eſt: ſed diuerſa ab operatione effectæ ipſę res proculdubio ſunt. Quapropter dictio quoq; cum dicentis operatio ſit, aliud quoddam habet, quod efficiat ac ſignificet. Item dicere, inquit, a dictione denominatiue deducitur. dictiones igitur eſſe ea quæ dicantur, aſſerendum eſt. Sed hac ratione non uideo quo pacto conuinci contrarium potius nõ debeat. Si enim dicere a dictione denominatur, dictiones nullo modo dicimus. quippe cum neq; ingreſſionem ingrediamur, neque ſanitatem ſanemus, neq; actiones aut affectiones, aut agamus, aut efficiamus. Adde ꝙ qui ambigua & ęquiuoca pronunciant, licet unam orationem, aut unum uerbum dicant, plura tamen ſignificant. non ſunt igitur dictiones & uerba quæ dicantur. Præterea quando obſcure quicpiam dicitur, uerba quidem audire nos fatemur, quid dicatur tamen non ſatis percipere: ut inde non eſſe uerba ea quæ dicantur, & ſignificentur, perſpicuum ſit. Sed quid de uocibus nihil ſignificantibus dicendum eſt? cum enim uerbum & dictio exprimitur, nihil ſignificat.

Idem

Idem ex multiuocis colligi poteſt.cum enim plura ſint uerba quæ pronunciantur,una res tantummodo eſt.Quod ſi idem non eſt res quod dictio,& uerbum,alia quædã præter hęc erunt, quę ſint ea quę dicant.Atq; hæc quidem in utranq; partẽ diſputata ita ſint. Solas uero animi notiones eſſe ea quæ dicantur,ueteres aſſerunt,propterea q; de rebus, atq; ex rebus exiſtunt. Primo quidem notiones,ſecundo uero etiam res ſunt,quæ ſignificentur. Nam uerum & falſum in rebus non eſt,ſed in animo , & in intellectus noſtri cogitationibus. In tertio ſiquidem de anima Ariſtoteles in hunc modum inquit. Atq; indiuiſibilium quidem intellectio neq; uera neq; falſa eſt.in quibus uero eſt falſitas ac ueritas,intellectionum ac notionum compoſitio iam eſt.Notiones igitur ſunt illæ,quæ primo ſignificantur,ac dicuntur. quippe cum & de ijs quæ facta iam ſunt,& de ijs quæ non ſunt, notiones in animo cõcipiamus,quas pronunciando explicamus ac dicimus. Vnde falſa aut uera oratio eſſe nullo modo poteſt:niſi ex notionibus uerum aut falſum admiſerit.Prima enim dictio in animo eſt, ex qua & dicere, & dictionem in uoce ueriſimile eſt fuiſſe appellatam. Præterea in ambiguitatibus & æquiuocationibus,& in omnibus demum ex quibus in dictione deceptio accidit,cum ad aliud atq; aliud intelligendum cogitatio feratur, plures notiones exiſtere conſueuerunt, atq; ita unum nomen eſt,notiones uero & intellectiones plures,& plura item ea quæ dicuntur, ſunt. Idem ex contrario quoq; demonſtrari poteſt:nam ſiue uinum, ſiue temetum dixero, ex utriſq; una notio exiſtit:licet diuerſa nomina & non eadem ſint.Nam nihil ſignificantes uoces notiones eſſe ea quæ ſignificentur,manifeſte declarant. Dicimus enim eum qui has pronunciet, nihil dicere, propterea q; neq; qui dicit,neq; qui audit, notionem ullam concipere ex ipſis poteſt. Cantillantes item ac uibriſſantes nihil dicere aſſerimus, eo q; intelligere quicpiam non licet. Ac cætera demum animalia cum mẽtis ac notionis expertia ſint,nemo eſt qui dicere affirmaret.Atque ita ex omnibus his notiones eſſe ea quæ primo ſignificentur,ſecundo uero res,eſſe nobis perſpicuum poteſt. Eſt enim prædicatio ſeu denũcupatio dictio quæ uerbi cauſa Socratis notionem ſignificat:non alio modo,q̃ Socratis imaginationem.licet notio animi motus ſit indiuiſibilis ac ſimplex,& operatio,quæ non in affectione conſideretur: imaginatio uero in affectione exiſtat:quæ cogitatio quædam & diſcurſio animi etiam ipſa eſt.Non dico tamen cogitationem & intellectionem imaginationem eſſe, quippe cum de incorporeis rebus notiones & intellectiones eſſe poſſint, imaginationes non poſſint: ſed imaginationem inſinuare ſe in notionem aſſero.Non igitur ipſæ res ſunt prædicamenta, ſed dictiones, quæ notiones & res ſignificant.Cum enim animal de homine denuncupari ac prædicari dicimus,illud dicimus ſignificatiuam dictionem animalis,quod eſt nomẽ hoc animal,de notione quę a dictione quæ eſt homo,ſignificatur,& de re etiam notioni ſubiecta prædicari.quippe cum prædicari ac denuncupari uocũ ſignificantium propriũ ſit, quæ uidelicet & notiones & res ipſas ſignificant.

Quo pacto prædicamenta inuenire & non ſuccumbere Stoicorum dubitationibus debeamus. *Cap.* 4.

Seleucus.

SEd quo pacto diſcernere poterimus propoſitas quæſtiones, utrum in prædicamenta cadant,necne? Præſcribe igitur aliquam normam,qua ea quę in prędicamentorum diuiſionem non incidant,dijudicare ualeamus. *Dexip.* Omne ſignificatiuum genus prius exiſtere oportet,perinde ac ſubiectum,atq; id in principijs decẽ in huiuſcemodi diuiſione ſtatui debet. nunq; enim fieri poteſt, ut abſque uoce quæ non hoc modo ſeſe habeat, aliquid de altero prædicetur. Vnde ſi aliqua pars ſit,quæ uel nihil abſolute ſignificet,ut blityri:uel ad alteram ſignificatiuam referatur,ut quæ relationes appellantur,quæ ad indefinitas partes relatæ quicpiam indicant, ut uox hæc ille quæ ad /quis/ correſpondet: uel ſimul cum alia ſit ſignificatiua,ut articuli, & coniunctiones: eæ nullo modo reponi in prædicamentis debent. Præterea prædicamentum ex reſpectu ad res,& ex rerum differentia conſtitui proprie ſolet.propterea q; principali ratione ſignificãs dictio primum orationis uſum ſequitur,quo res ſignificare nobis mutuo cupimus.Exempli cauſa dictio hęc/homo/ad ſubſtantiam reſpicit:albedo autem ad qualitatem.& reliquæ ſimili modo.Quod ſi dictio ita formetur, ut primæ ſignificationis orationum non ſit, ſed proprijs partibus obtingentem notam præſcribat:ut inde, cælitus, pulcherrime, rectiſſime, faberrime. Vel ex notionum inter ſe connexione, quemadmodum in conſequutione ſuppoſitiui,ut ſi dies eſt:& ex repugnantia diuiſiui,ut uel dies eſt:nulla ex huiuſce

modi dictionibus eſſe prædicamentis cōueniens poteſt. Quippe cum omnes hi orationis uſus a principali prædicamentorum coordinatione quam ad res habent, alieni prorſus ſint. Item ſi aliqua ineffabilis motio animi ſit, ut gemitus, & fremitus, uel aliquis inarticulatus ſonus, cuiuſmodi eſt ſibilus, uel uox aliqua quæ imaginatione cōcipi nequeat, qualem uibriſſationes edere conſueuerunt, uel ſi quid aliud nomen ſit, quod nihil ſignificet, id nequaquam in prædicamento ullo eſt: quippe cum proprietatem prædicabilis eſſentiæ nullo modo ſeruet. Accedit, ꝙ ſupremorum generum, uel ſi ita libet dicere, generaliſſimarum dictionum diſtantiæ cum nihil inter ſe habeant commune, nihil etiam habent eſſentiale aliud ſupra ſe, quod de ipſis prædicari queat. Quo circa qui prædicamenta exquirere recte uult, is iuxta hanc diſtinctionem debet, neq; unum quaſi omnibus commune aſſignare: alioqui enim non eſſent decem, ſed in unum ſolum genus redigerentur: neque motionem de faciendo & patiendo quaſi commune quoddam prædicare: nam neq; ita duo hæc eſſent genera, ſed unum quod utraq; complecteretur, quæ eſt motio: Sed ſimplex & incompoſitum, ſiue id in generibus rerum, ſiue in generaliſſimis dictionibus, ſiue in utriſq; quiſpiam conſideret. ita enim ubiq; notam prædicamentorum præfiniret. Neq; igitur compoſita, ut Dion deambulat, neq; ſubcompoſita, ut multifidus, neq; ea quæ uel per ſyncopam, uel per apocopen, id eſt concisionem uel reciſionem dicuntur: neq; factitia, neq; figurata, neq; adiectitia, neq; demum quæcunq; poeticæ aut rhetoricæ propria ſunt: ullo pacto prædicamentis poſſunt conuenire. quippe cum ea conſiderare alterius contemplationis ſit, quæ ſecunda eſt, & circa dictiones uerſatur. Prædicamentum enim principalem ſignificationem dictionum ſcrutatur: principaleſq; communitates rerum, quæ eſſentiales ſint: quæ in ſupremis generibus ſpectantur: non quæ ex accidenti ſumantur: quas inueſtigare alterius ſecundæ conſiderationis eſt. Figurationes enim nominum, & ſimilia, quę in infinitum progredi poſſunt, inutilia ad ſcientiam ſunt. Generales uero ſignificatiuæ dictiones, ſeu primorum generum cōprehenſiones, cum in infinito terminum cōſtituant, exactam cognitionem & orationis & rerum ſimul afferunt. Vtendum igitur præcipue his initijs eſt, quæ merito ab ijs fuerunt pertractata, qui & orationis & eſſentiæ indagatores extitere. Neq; ergo figuratum uerbum, aut translatitium, cuiuſmodi eſt, refrenauit, aut, pes infimus Idæ: quin etiam neq; modi, ut neceſſe eſt, aut contingit: neque determinationes, ſicut ſunt, omnis, nullus, aliquis, nō aliquis: in prædicamentis ſtatui debēt. Nihil enim ex talibus eſt quod præfinitam rerum naturam ſignificet. Quocirca non iniuria reprobanda hæc ſunt, quippe quę antedictorum prædicamentorum ſcopo minime accommodentur. Nam quæ ad ueritatem ſpectat oratio, & in qua uerum uel falſum dicere licet, eā pręcipue prędicamentis conuenire exiſtimarim. Quæcunq; igitur partes uocis ſignificatiuæ in ſimplicem prędicatiuam propoſitionem ſumpta, terminos ex quibus proprie conſtat propoſitio, poſſunt abſoluere, ea ſunt, quæ prædicamentis aſcribuntur. Sed dilucíditatis cauſa age ſi placet per interrogationem & reſponſionem ſermonem faciamus. Cum enim multæ de his quęſtiones exiſtant, non ab re erit, ſi in hoc aliquantulum immoremur. Interroga igitur ſi uis. *Seleu.* Ens cuiuſnam eſt prædicamenti? *Dexip.* Nullius. *Seleu.* Quam ob rem? *Dexip.* Quia æquiuoce de decem generibus dicitur. *Seleu.* Quid uero? unum cuius eſſe prædicamenti dicendum eſt? *Dexip.* Nullius etiam ipſum. *Seleu.* Cur? *Dexip.* Propterea ꝙ ipſum quoq; decem modis dicitur, non ſecus atq; ens. Vni autem contraria eſt multitudo. *Seleu.* Sed multitudo in quo prædicamento eſt conſtituenda? *Dexip.* In nullo. *Seleu.* Qua de cauſa? *Dexip* Quia etiam multitudo decem modis fertur. eſſe poteſt enim uel ſubſtantia, ut homines: uel quantitas, ut bicubitales: uel qualitas, ut albi: uel ad aliquid, ut patres: uel quicquid demum in cæteris prædicamentis continetur. *Seleu.* At uero non ens cui prædicamento eſt aſſignandum? *Dexip.* Non ens ſane duobus modis ſumi poteſt: uno cum omnis naturæ ſublationem penitus ſignificamus. id quod omnino eſt non ens: cū neq; ſubſtantia, neq; quantitas, neq; qualitas, neque quicpiam ex reliquis ſit: altero modo, cum quoddam non eſſe, puta non eſſe qualitatem, aut non eſſe ſubſtantiā, ſed aliud aliquid tamen eſſe, cuiuſmodi eſt quantitas, aut ad aliquid, aut ſimile quicpiam intelligimus. *Seleu.* Sed utrunque non ens cuius prædicamenti eſt? *Dexip.* Quod undequaq; eſt non ens, nullius eſſe prædicamenti conſtat, cum nulla eſſentia præditum ſit. Quod uero non eſt quoddam, ipſum quoq; quia decem modis dicitur, nullum prædicamentum habebit, cui aſcribatur. eſt ſiquidem aut non ſubſtantia, aut non qualitas, aut non quantitas, aut non quicpiam aliud ex cæteris. *Seleu.* Eſt uerbum,

bum, in quo prædicamento ſtatui debet? *Dexip.* In nullo. *Seleu.* Cur? *Dexip.* Propterea quod eſt ad decem genera æquiuocum. *Seleu.* Sed idem & diuerſum nonne alicuius erunt prædicamenti? *Dexip.* Nullius ſane. nam utrunq; etiam ipſorum decem modis dici conſueuit. nam idem eſſe dicitur uel ſubſtantia cum ſubſtantia, uel quantitas cum quantitate, uel qualitas cum qualitate, & in cæteris ſimiliter: aut ſubſtantia cum qualitate, uel quantitate, uel cęteris: ita ut decem quoq; altera hinc ſignificata exiſtãt. ſi uero a quantitate inceperimus, & idem eſſe dicamus quantitatem cum qualitate, aut cum ijs quæ ſunt ad aliquid, aut cum cæteris ſigillatim, nouem: ſi a qualitate, octo: ſi ab ijs quæ ſunt ad aliquid, ſeptem alia eiuſdem ſignificata euadent: ſi a reliquis, ſex, aut quinq;, atq; ita deinceps pro ratione comparationis numerus efficietur. Diuerſum quoq; ſimili modo decies ſumitur, ſi uel ſubſtantia ſubſtantiæ, uel quantitas quantitati, uel qualitas qualitati, & cætera eodem pacto ſibi comparentur. Si uero unum ex decem ad reliqua omnia ſigillatim referatur, diuerſi quoq; pro eadem ratione ſignificata plura exiſtunt. *Seleu.* Nunquid unumquodq; prędicamentum eſſe quid, dicendum eſt? *Dexip.* Sane quidem. *Seleu.* Sed quo pacto unumquodque eſt quid? *Dexip.* Decem modis: aliud ſiquidem eſt quid ut ſubſtantia, aliud ut quantitas, aliud ut qualitas, & cætera ſimili modo. *Seleu.* Sed diffinitio nonne ſignificat quid? *Dexip.* Prorſus. *Seleu.* Sed cuiuſmodi quid? *Dexip.* Quod proprietatem ſignificat. *Seleu.* Quam proprietaem? *Dexip.* Ea proprietas etiam decem modis dicitur: quippe cum alia ſubſtantiæ ſit, alia quantitatis, alia eorum quæ ſunt ad aliquid: & cæterorum. *Seleu.* Vnane igitur eſt diffinitio? *Dexip.* Nequaquam: ſed etiam ipſa tot generum eſt, quot eſt ens. *Seleu.* Qnam ob cauſam? *Dexip.* Quia ſi diffinitio uniuſcuiuſq; proprietatem explicat, ens autem decies exiſtit, decies quoq; proprietas dicatur, neceſſe eſt. diffinitio porro ex genere & proprio conſtat. *Seleu.* Ex quonam genere, & proprio? *Dexip.* Decem modis quoq; & genus & proprium ſumi conſueuit. quot enim ſunt prædicamenta, tot ſunt & genera, & propria. *Seleu.* Differt ne genus a prædicamento? *Dexip.* Partim differt, partim minime. *Seleu.* Quo pacto differt, & quo pacto non differt? *Dexip.* In eo quod ad ſubiecta refertur, non differt: quippe cum ſubiecta decem ſint. Quatenus uero ea quidem ſunt prædicamenta, genera autem naturæ rerum ſunt, eatenus differentia eorum eſt. Simili modo quoq; differentia. cum enim uniuſcuiuſq; generis differentia ſit, & genus decem modis dicatur, diuiſio quoq; generis, quæ diſtributio in ſpecies eſt, decem modis quoque ipſa ſit, neceſſe eſt. Quot enim modis genus ſecatur, tot etiam ſpecies inter ſe diſtinguuntur. *Seleu.* Sed quo pacto ſi multis modis dicitur genus, diffinitionem eius aſſignat Ariſtoteles, genus eſſe inquiens, quod de pluribus & differentibus ſpecie in quid ſit, prędicatur? *Dexip.* Quia nihil uetat, quo minus eorum quę multis modis dicuntur, diffinitionem quoq; afferamus, quę multis modis dicatur. Nam ſicut genus, ita id etiam quod in quid ſit, prędicatur, multiplex eſt. *Seleu.* At uero cum idem tripliciter dici aſſerat Ariſtoteles uel genere, uel ſpecie, uel numero, qui fit ut decem modis idem dici affirmaris? *Dexip.* Quia quod genere idem eſt, decem modis dicitur: ut in ſubſtantia idem ſunt homo & equus: genere enim quod eſt animal, eadem ſunt. ſic in quantitate linea & ſuperficies, magnitudine ſiquidem ſunt eadem. Item in ijs quæ ſunt ad aliquid, duplum & triplum, quippe cum multiplicia utraq; ſint. album & nigrum item in qualitate, utrunq; enim eſt color. atq; in cęteris ſimili modo. Sic quod ſpecie eſt idem, decem modis etiam ipſum dicitur uel in ſubſtantia, uel in cæteris ſigillatim: & quod numero eſt idem, ſimili modo. *Seleu.* Itane diuerſum quoq; decem modis dicitur? cum ipſe diuerſum ſimili modo tripliciter genere, ſpecie, uel numero, eſſe dixerit? *Dexip.* Quod uel genere eſt diuerſum, uel ſpecie, uel numero decem modis ſingula dici ſine dubio aſſerendum eſt. Qua in re quia adeo aperta res eſt, prætermittenda exempla eſſe exiſtimo. *Seleu.* Dupliciter uero, et tripliciter, & bifariam & trifariam in quodnam prædicamentum reducenda ſunt? *Dexip.* Dictum iam ſæpe eſt, ex dictionibus alias primæ eſſe ſignificationis: alias ad ſecundum uſum orationis ſpectare, quæ prædicamentis non aſcribuntur. Quocirca ſi hæc quoq; ad primas notiones referat quiſpiam, ex quibus incitata mens huiuſcemodi motiones procreauit, eſſe quantitatis dicentur. ſi autem a primis notionibus quæ rebus annexæ ſunt, ſeparantur, cuiuſnam ſint generis prędicamentorum, requirendum non eſt. *Seleu.* Totum & partem in quonam prædicamento ſtatuere debemus? *Dexip.* Hæc quoq; ad ſecundũ orationis uſum attinent. manus enim & caput prima

ſunt nomina. Quando uero manus & caput partes totius ſunt, & ut partes nominantur, ea indicationis uocalis ſecunda motio eſt. Socrates enim ſubſtantiæ appellatio eſt. at ſi nomen etiam hoc Socrates conſideremus, ad ſecundā impoſitionem nominis ſpectabit. Ita & totum & pars ſeſe habet. icirco referenda in prædicamenta non ſunt. Sed ſi modo id uolumus, in prædicamento eorum quæ ſunt ad aliquid, ſunt conſtituenda. quippe cum pars totius pars, & totum ex partibus totum ſit. *Seleu.* Vniuerſale autem, & omnino, & funditus, ad quodnam prædicamentum reduci debent? *Dexip.* Hæc ex prædicamentis abſtracta ſunt, cum per participationem primorum quorundam, & exemplarium prædicamentorum progrediantur. *Seleu.* Idem & diuerſum, & proprium, & alienum, & commune, & differentiam, & ambiguitatem, & æquiuocationem ubi reponere debemus? *Dexip.* De omnibus quidem unumquodq; horum dici explicatum iam eſt. Quoniam uero ſunt nomina, & ſecundæ eſſe impoſitionis nominum uidentur, e prædicamentorum ſerie excluduntur. Sæpe enim iam diximus, prædicamenta penes ſignificationem differentiarum quæ in rebus ſunt, exiſtere. Vnde etiam indiuidua, & quæ cōmonſtrari queunt magis conſideranda eſſe cenſemus: utpote quę & principaliora ſint in prædicamentis, & explere profeſſionem ipſorum magis poſſint. His igitur ita diſtinctis, operæ precium eſt animaduertere, atq; ad perfectiſſimam ſcientiam ipſorum cognitionem referre.

Cur cum de prædicamentis diſputare propoſuerit, non ſtatim ab illis exordium ſumpſerit. ſed de æquiuocis & vniuocis prius agat. Cap. 5.

Seleucus.

QVid eſt in cauſa, cur cum de prædicamentis dicere propoſuerit, non de ipſis diſſerere incipit, ſed de æquiuocis & uniuocis & denominatiuis prius agit? cum tamen in cæteris operibus ſemper ad ſcopum propoſitum ſpectare, & nihil præter ea dicere conſueuerit, quæ ad propoſitam rem facere uideantur? *Dexip.* Nomina multitudini rerum minime adæquantur. neq; quot ſunt res, totidem etiam ſignificatiuæ earum dictiones ſunt, neq; ſigillatim, neq; communiter & generatim: ſed alicubi excedunt, alicubi deficiunt. Nam unius rei ſæpe plura nomina reperiuntur: & plurium rerum e contrario unum nomē: quod nihil commune & idem ſignificet. Quia igitur uidendum eſt ad quodnam prædicamentum ſimplex & incompoſita dictio propoſita redigatur: propterea de æquiuocis, & uniuocis & denominatiuis prius tractat, ut undecunq; explorare nos doceat, nūquid dictionibus tale quicpiam acciderit: atque ita ea quæ pręponenda ſunt, prius tradit ijs qui prædicatiuas dictiones exacte cogituri ſunt. Quemadmodum enim in alijs ſcientijs nonnulla prius explicare conſueuimus, ſine quibus aut difficile eſt, aut fieri non poteſt, ut res propoſita percipiatur: ita hic ante q̄ ad diuiſionem in prædicamenta ueniamus, exponi quædam debent, quæ ad ſequentium diluciditatem faciant.

Cur Archytas in dictionibus vniuerſalibus de æquiuocis, & uniuocis, & denominatiuis nihil dixerit. Cap. 6.

Seleucus.

DEbebatne igitur etiam Archytas anteq̄ de uniuerſalibus dictionibus ageret, quę nos prędicamenta ſeu denuncupationes dicimus, eadem hæc explicare? *Dexip.* At pythagoricis ne in mentem quidem huiuſmodi nominum diuiſio uenire poteſt, qui cum nomina impoſita eſſe rebus natura opinent̄, inęqualitatē omnē circa dictiones repudiare conſueuerunt.

Cur non omnia quæ vtilia ad prædicamenta erant, antepoſuerit, ſed alia poſt prædicamentorum traditionem ſubiungenda cenſuerit. Cap. 7.

Seleucus.

SEd hæc quidem omittenda in præſentia ſunt, quippe cum huiuſmodi quæſtionum genus requirendum ab ijs eſſe uideatur, qui Pythagoricas ſuppoſitiones admirantur. At ſi Ariſtoteles, ut inquis, ea quæ utilia erant futura, exponere prius debuit: qua de cauſa poſt prædicamentorum traditionem de contrarijs, & oppoſitis, & motionibus, atq; alijs huiuſmodi quædam ſubiūxit? *Dexip.* Quia uidelicet de ijs quorum nullam prorſus notionem habemus, merito oportet ut a ſcientibus prædoceamur: cuiuſmodi ſunt æquiuoca, & uniuoca, & deno

minatiua, quorum nulla in animo noſtro anticipatio ineſt; ut opus omnino fuerit nobis præmonitione, qua in eorum cognitionem aliquatenus induceremur. Quorum uero notionem quandam natura quidem inſitam habemus, ſed non admodum tamen diſtinctam: in his primum communi notione utendum eſt, ne continuata doctrinæ ſeries interrumpatur: deinde ſingula exactius poſtea explicanda, ita tamen, ut naturalis contẽplatio non adhibeatur. Iam enim quaſi in genere quædam doctrinam reducit, dum de contrarijs, & oppoſitis, & alijs, nec non de motione, & de eo quod eſt ſimul, hic non admodum acurata tractatione uſus, in naturalibus diſputationibus rem exquiſitius perſequitur.

Cur primum de æquiuocis diſſerat. Cap 8.

Seleucus.

SEd quid fuit in cauſa, cur prius de æquiuocis, q̃ de uniuocis mentionem fecerit? Cum tamen æquiuoca in uno ſolo, quod eſt nomen: uniuoca autem in utriſque tam in nomine q̃ in ratione etiam conueniant. *Dexip.* Cauſa ad prædicamenta ipſa referenda eſt. Quia.n. ea æquiuoca ſunt, quod præcedebat, & in omnibus ipſis communiter inerat, merito antepoſuit. Licet enim unũquodq; quantum ad genus ipſius ſpectat, de ſpeciebus quæ ſub ipſo ſunt, uniuoce prædicetur: In uniuerſum tamen omnia æquiuoce prędicamenta appellantur.

Cur non potius de æquiuocatione dixerit. Cap. 9.

Seleucus.

AT ſi propoſitum ipſi eſt de dictionibus dicere tam alijs, q̃ ijs quæ ęquiuocationem habẽt: cur de æquiuocatione nihil dicit, de æquiuocis uero ipſis agit, quę ratione diuerſarum rerum duplicem habere ſignificationem intelliguntur? *Dexip.* Quia ſi ordine progrediamur, ex rebus quæ diuerſo modo ſe habent, ęquiuocatio dignoſcitur. Ex quibus igitur primò æquiuocatio exiſtit, quæq; eius præcipue in cauſa ſunt, in quibuſq; eſſentiam ſuam habet, ea primo etiam ipſe exponit: quæ dum animo concipiuntur, ſimul dictio quoq; eſſe æquiuoca conſideratur. Nam cum res ſunt plures, ſtatim nomina quoq; ipſa multis modis dici demonſtrantur. Merito igitur ea antepoſuit, ex quibus inuentio & facillima et promptiſſima exiſtit: quæ res ſunt, in quibus faciendæ æquiuocationis uis omnis conſiſtit. Quapropter cum ex rerũ diuerſitate ęquoca manifeſtarit, ſimul etiã de ęquiuocatione agit, quę ex rebus conſequitr̃.

Cur adiunxerit, ſolum, vbi inquit, quorum nomen ſolum commune. Cap. 10.

Seleucus.

CVm autem ſolum duobus modis ſumatr̃: uel enim de uno ſolo intelligitur, ut cum ſolum eſſe ſolem aſſerimus: uel ad diſtinctionem aliorum poni cõſueuit, ut cum tunicam ſolum aliquem habere dicimus: hic cum inquit, æquiuoca dicuntur, quorum nomen ſolum commune eſt, ratio autem ſubſtantiæ iuxta nomen diuerſa: uel ſolum diſtinctionem a ratione ſignificat, uel non ſignificat. ſi ſignificat, ſuperuacanea reliqua ſunt: ſi non ſignificat, ſuperuacue ſolum poſitum eſt. *Dexip.* Additiones quidem dilucidítatis cauſa ſumi conſueuerunt, cuius ijs qui loquuntur, præcipuam curam eſſe debere nemini dubium eſt. Vnde hic quoq; ſolius ambiguitatem id quod ſubiungitur perſpicue tollit. Quemadmodum.n. qui dixit, tunicam ſolum habet, is ſi adiunxerit, pallium autem non habet, clariorem orationem reddidit: ita & Ariſtoteles cum ſoli addiderit, ratio autem ſubſtantię iuxta nomen diuerſa, non abſurde affectaſſe perſpicuitatem cenſendus eſt.

Cur cum multa æquiuocis cõmunia ſint, de nomine tantum cõmune dixerit. Cap. 11.

Seleucus.

IAm uero non ſolum nomen æquiuocorum eſſe commune, ſed alia etiam complura aſſerere poſſet quiſpiam. Aiacibus enim non ſolum nomen commune eſſe coſtat, ſed illud etiam q; græci ſint, q; duces, q; amici. Cur igitur cum multa alia communia æquiuocis ſint, nomen ſolum commune eſſe dixit? *Dexip.* Quia nõ quid commune Aiacibus ſit quantum ad dictiones, aut ad genus attinet, conſiderandum eſt, ſed quatenus tantummodo æquiuoci inter ſe ſunt. Quare hæc ſolius additio neceſſaria eſt: quippe cum æquiuocum quantum ad nomen ſolum commune ſpectat, æquiuocum ſit.

Quòd neque quantum ad commune indiuiſibile, neque quantum ad diuiſibile attinet, commune æquiuocis nomen ſit. Cap. 12.

Seleucus.

ATenim cum commune multis modis dicatur: nam cōmune eſt, quod uel in partes diuidi non poteſt, ut equus, & ſeruus multis communis: uel diuidi poteſt, atq; id quidem diuerſo modo: uel enim ita diuidit: ut licet præoccupatione ſingulorum effectum ſit, poſt uſum tamen in commune redire conſueuerit, cuiuſmodi eſt forum, aut theatrum: uel ita, ut poſt diſtributionem ſingulis proprium efficiatur: ut ſpolia hoſtium militibus. Cum igitur ita ſit, & nullus ex his communitatis modis conuenire æquiuocis poſſit, æquiuocorum eſſentiam tolli neceſſe eſt. Nam neq; ut indiuiſibile commune nomen eſſe æquiuocis poteſt, quo modo equus hominibus eſſe communis dicitur, qui per uices ad uſum ſingulorum accommodatur: quippe cum nihil uetet, quo minus multi ſimul eodem nomine appellentur. Neque ut diuiſibile: non enim nominis participatio ſyllabatim efficitur. Quod ſi neq; ut indiuiſibile, neq; ut diuiſibile commune nomen habent æquiuoca, qua alia ratione commune eſſe ipſis nomen poteſt? *Dexip.* Sed qui hæc in dubitationem uocat, uidetur ignorare, commune indiuiſibile unum eſſe quod per uices in uſum ſingulorum abit, ut equus: alterum, quod ſimul abſq; ulla diuiſione participari multis poteſt: qui communicationis nominis modus eſt. nomen enim abſq; ulla ſui diuiſione totum ſeſe omnibus quæ ipſum admittunt, participat.

Alia dubitatio de communi. Cap. 13.

Seleucus.

SEd ſi nomen ſignificatiuum eius eſt, cuius eſt nomen nulla re extrinſecus indigens: nam ſi alio aliquo ad ſignificandum indigeret, ne nomen quidem eſſet: quod uero multis eſt commune, unius ſignificatiuum non eſt: incertum ſiquidem eſt, quidnam ex multis uelit ſignificare. qui enim canem dicit, is non eſſe quidem equum, aut bouem, aut hominem, quod ſignificatur, manifeſtat: quēnam canem tamen uelit ſignificare, non exprimit. Quod ſi commune nihil expreſſe ſignificat, nomē uero ſignificatiuum omnino eſt, commune eſſe pluribus nomen non poteſt. ſi uero commune nomen non eſt, neq; æquiuoca ulla res erit: quippe cum æquiuoca cum plures res ſint, ſignificari ab uno communi nomine debeant. At ſi nomē ad ſignificandam unam rem ex multis quam quiſpiam uelit, additione aliqua indigeat: ſimili modo omnis æquiuocorum ratio ſubuertetur. nam commune non amplius permanebit nomen, ſi additione differentię proprium alicuius euaſerit: Verbi cauſa, ſi cani uel terreſtre, uel aquaticum adiunxeris. Non modo enim commune nomen non amplius remanet, ſed aſſumpta differentia ne nomen quidem amplius eſt. *Dexip.* Licet nimis curioſa dubitatio eſſe uideatur, ſoluenda tamen eſt, & non repudianda. Commune in nomine male ſumptum eſt. non enim ita commune eſſe nomen dixit Ariſtoteles, ut lyram, aut equum, ſed eo modo, ut communis uox in theatro eſt, quæ licet una & eadem ſit, ad diuerſorum aures tamen tota defertur. Nam hic quoque nomen unum & idem cum ſit, diuerſis rebus accommodatur. *Seleu.* Si quis uero ita dicat, omne ſenſibile mutabile eſt atque alterabile. omne alterabile nunq; idem manet, ſed alias aliud euadit, ſiue in pluribus, ſiue in uno alterationem quiſpiam ſumpſerit. Quod autem eſt alterabile, commune eſſe nullo pacto poteſt: eo ꝙ permanere id quod cōmune ſit, debeat. Quod ſi non permanet, proprium uniuſcuiuſq; euadit, quod unicuiq; conuenit. Nomen uero ſenſibile eſt, nam uox eſt ſenſibilis: quare neq; hoc pacto commune eſſe poſſet, atq; icirco neque ęquiuocum. Hanc quidem dubitationem captioſam eſſe ipſe etiam ſentio. ſed cupio tñ, ut aliqua eius ſolutio afferatur. *Dexip.* Qui hæc dicunt, non aduertunt commune hic non ita appellari, ut diuidi in plures partes queat: ſed ita, ut totum uniuſcuiuſque idem efficiatur, non alterum huius, alterum illius, ut propria quædam figurarum comprehenſio ęquiuocationis communitas ſit. atq; ita qua ratione propriũ uniuſcuiuſq; nomen eſt, commune etiam permanet. Adde ꝙ mutabile & alterabile licet de uoce utpote quæ corpus ſit, ſumptum fuerit, de nomine tamen quod immutabile debet permanere, ſumi recte non poteſt.

Quod ſuperuacue adiunxerit, ratio autem ſubſtantiæ iuxta nomen diuerſa. Cap. 14.

Seleucus.

Seleucus.

QVoniam uero non hæc tantum reprehendere conſueuerunt, ſed redundare etiam deſcriptionem hanc aſſerunt, id animaduerſione quoq; non indignum uidetur. Satis enim fuiſſe aiunt, ſi dixiſſet, æquiuoca dicuntur, quorum ſolum nomen commune eſt, ſed diffinitiones diuerſæ. *Dexip.* At ſi additum non fuiſſet, ratio autem ſubſtantiæ iuxta nomen diuerſa, ęquiuoca eſſe uniuoca liceret demõſtrare, utputa Aiaces. niſi enim iuxta nomen Aiacum diffinitio aſſignetur, una & eadem utrorumq; diffinitio eſſet, quatenus homines ſunt: & ita eſſe uniuoci demonſtrarentur.

Cur non dixerit diffinitio ſubſtantiæ, ſed ratio. Cap. 15.

Seleucus.

SEd qua de cauſa non dixit, diffinitio autem ſubſtantiæ iuxta nomen, ſed ratio? *Dexip.* Quia non omnes res explicari diffinitionibus poſſunt, ſed nonnullæ ſunt, quæ deſcriptiones tantum requirant. Iccirco rationem ſubſtantiæ, quippe quę utraſq; complectatur, loco diffinitionis poſitam fuiſſe, exquiſitæ diligentiæ eſt.

Quòd æquiuoca poſsint eſſe vniuoca. Cap. 16.

Seleucus.

QVoniam uero nonnulli æquiuoca eſſe uniuoca nituntur demonſtrare, age quæſo hoc etiam mihi explana. Inquiunt enim ſi uniuoca ea ſunt, quorum & nomen, & ratio iuxta illud nomen eadem eſt: æquiuoca autem & nomen idem habent, uocantur enim æquiuoca, & rationem eandem ęquiuoci admittũt: fieri non poſſe, quin æquiuoca uniuoca omnino ſint: At uniuoca etiam multo prius eſſe uniuoca: hæc igitur eſſe uniuoca aſſerũt. *Dexip.* Oportebat quidem, ut ad ita inſtructas rationes ne conaremur quidẽ reſpondere: ne tamen aliquid dicere uideantur, occurrendum ipſis in hunc modum eſt, ut dicamus nihil obſtare, quin res eædem & æquiuocæ, & uniuocæ eſſe poſſint, ſi alio atq; alio modo conſiderentur. Quemadmodum hic quoq; omnia æquiuoca eodem æquiuoci nomine prædita ſunt: ut Aiaces. quippe cum uterque ex ipſis & Aiax, & æquinocus appelletur. Vnde quatenus ſunt Aiaces, cum nullam rem communem habeant, æquiũoce dicuntur. Quatenus uero ęquiuoci communem rationem habent, uniuoce dici etiam poſſunt.

Quo modo cum vniuocum in omnibus prædicamentis conſideretur, ratio ipſius æquiuoca quæ in ſola ſubſtantia ſunt, circumſcribat.

Cap. 17.

Seleucus.

ILlis uero qui ęquiuocorum deſcriptionem deficere aſſerunt, quo modo occurremus? Non enim in ſola ſubſtantia, ſed in qualitate, & quantitate, & alijs generibus ineſſe æquiuocationem aiunt. quippe cũ in illis quoq; ęquiuoce res dici poſſint. Cum igitur in diffinitione æquiuocorum dixit, ratio autem ſubſtantiæ iuxta nomen diuerſa, uidetur defeciſſe, propterea quod cum æquiuocatio in omnibus generibus ſit, diffinitio hæc ea tantum æquiuoca uidetur comprehendere, quæ in ſubſtantia ſunt. *Dexip.* Primum quidem non in omnibus exemplaribus particula hæc (ratio ſubſtantiæ) adiuncta reperitur, ut Boethus, & Andronicus teſtãtur. Deinde ſi etiam adiecta ſit, id quod in pleriſq; uidere licet, recte adiectam fuiſſe confirmandũ eſt. nam cum ratio multis modis ſumi poſſit, de ratiocinatione enim & de inductione etiam dicitur, a quibus ratio quæ eſſentiam explicat, proculdubio differt: iccirco recte factũ eſt, ut addiderit, ratio autem ſubſtantiæ. Tametſi *οὐσίαν* hic non tam ſubſtantiam interpretari, quam eſſentiam debemus, cũ enim non ſubſtantia tantummodo, ſed etiam accidens eſſe dicatur, eſſentiæ ratio non tam ſubſtantiam, quam cætera etiam genera complectetur, eo quod ipſa quoq; entia appellentur. Ratio enim quæ uniuſcuiuſq; accidentis eſſentiam exprimit, recte ratio eſſentiæ nuncupabitur. Adde quod rationem ſubſtantię æquiuocorũ ſubſiſtentiam intelligere etiam conuenit.

Cur poſt æquiuoca vniuoca ſtatuerit. Cap. 18.

Seleucus.

AT uero cum uniuoca & rationem eandem, & nomen habeant, quid in cauſa eſt, cur his poſtpoſitis de æquiuocis prius mentionem fecerit? Nam ſi de ſupremis generibus tractat

turus eſt, quibus illud ineſt, ut de ijs quæ ſub ipſis ſunt, uniuoce prædicentur, æquiuoce uero minime: uniuocum ipſis ineſt, æquiuocum non ineſt. Quod uero ineſt, antecedere illi procul dubio debet, quod nō ineſt. Quapropter de uniuocis prius agere, deinde de æquiuocis ipſum oportebat. Dexip. Quod de æquiuocis prius diſſerat, illud in cauſa eſt, ꝙ ens non ut alijs uideri ſolet, uniuocum, ſed æquiuocum Ariſtoteli eſt. Vnde ſi ens quod de omnibus prædicamentis dicitur, ęquiuocum eſt, merito præcedere apud ipſum doctrina ęquiuoci debet, & demonſtratio eius quod non ineſt. quippe cum prius diſtinguenda ęquiuocatio ſit, deinde ita in numerum redacta, ac diffinita ſigillatim genera deinceps demonſtrandū, quo pacto de ijs quę ſub ipſis ſunt, uniuoce prædicentur.

Quod quæ cum cōplexione & ſine cōplexione dicuntur, errata ſint. Cap. 19.

Seleucus.

NOnnulli ſunt qui diuiſionem cū complexione, & ſine complexione damnandam putent: propterea ꝙ non prorſus aut cum complexione, aut ſine complexione ſint ea quæ dicuntur. Cum enim dicimus, homo deambulat, id cum complexione non eſſe aiunt, quia nulla copulatiua coniunctione connexa oratio ſit. Cum uero hominem, aut bouem dicimus, non ſine complexione eſſe affirmant: eo ꝙ quandam ſyllabarum & elementorum compoſitionem uerba ipſa habeant. Dexip. Qui complexionem ſolam copulatiua coniunctione connexam pronunciationem appellant, Stoicos ſequi uidentur: quibus antiquior Ariſtoteles ueterum conſuetudine eſt uſus, qui plurium partium orationis congreſſum complexionem uocabant. Hominem autem, uel bouem cum complexione propterea dici, quia ſyllabarum & elementorum compoſitio in ipſis conſpiciatur, abſurdum eſt aſſerere. non enim elementorum, ſed partium orationis compoſitionem ueteres complexionem nominant.

Quod ex deſcriptione eius quod eſt in ſubiecto, corpus eſſe in loco & tempore tanꝗ in ſubiecto poſſit. Cap. 20.

Seleucus.

SI in ſubiecto illud eſt, quod cum in aliquo non ut pars inſit, ſine eo eſſe non poteſt, in quo eſt: corpus uero a loco ſeparari nullo modo poteſt: in ſubiecto igitur erit corpus in loco: ſimili modo etiam ea quæ ſunt in tempore: quippe cum neq; partes eius ſint, neque eſſe ſine eo queant. Nam licet a particulari loco & tempore ſegregari ea quiſpiam dicat, a loco tamen in uniuerſum & tempore nunquam diſiunguntur. Dexip. Sed ad hoc dicendum, nihil quod commune ſit, eſſe aut hoc, aut aliquid poſſe. Quocirca neq; in aliquo erit, id quod in generali & uniuerſali loco, aut tempore fuerit. Adde ꝙ aliud per ſe in tēpore eſt, id uidelicet quod mouetur, & mutatur: ſimul quippe cū tempore progreditur, ſimulq; immutatur. Quod uero eſt æternum, id ex accidenti eſſe in tempore dicitur, cum immobile, atq; immutabile prorſus ſit: nam eatenus tantum eſſe in tempore dicitur, quatenus tūc etiam eſt, quando eſt tempus. His igitur ita diſtinctis, ſi illud quod mouetur, quatenus mouetur, ſimul cum tempore pertranſit, in loco eſſe non poterit, cum utraq; uidelicet per ſe moueantur. Quin etiam neq; in tempore erit: neutrum enim permanet. Non erit igitur alterum in altero, ſiue particulare, ſiue uniuerſale accipiatur. Sed ſi tamen in tempore eſſe contenderit quiſpiam, de communiori, non de præfinito erit intelligendum: quippe cum neque motionis, neq; temporis eſſe commonſtratio poſſit. utraq; enim in latitudine quadam conſiderantur, & in tranſitu, & continua partium generatione exiſtunt, quæ uel anteceſſerint, uel ſubſequantur. Quod ſi ita eſt, aliud eſſe in loco & tempore, aliud eſſe in ſubiecto aſſerendum eſt.

Quod quæ in ſubiecto ſunt, partes ſubſtantiæ eſſe dicantur. Cap. 21.

Seleucus.

SI partes illæ ſunt, quæ uniuſcuiuſq; ſubſtātiam explent: notio ſiquidem partis ea eſt, ut ſubſtantiæ expletiua eſſe intelligatur: corporis uero quod abſolute dicitur ſubſtantiam color, & figura, & quantitas abſoluunt, atq; explent. quippe cum ſine colore, aut figura, aut quantitate eſſe nullum corpus queat. Cuiuſdam item corporis, utputa ignis, aut niuis, caliditas, aut frigiditas, & fulgor, aut albedo eſſentiam explet: Vel hæc eſſe partes ante dictorum cenſendum eſt: atq; ita ea quæ ſunt in ſubiecto, ineſſe ut partes reperientur: uel ſi partes non ſint, ad

eſſentiam eorum explendam non facient. *Dexip.* Ad hanc dubitationem illud eſt obijciendum, ſubiectum & ex Stoicorum & ex antiquorum etiam ſcientia eſſe duplex: unum, quod primum ſubiectum dicatur, cuiuſmodi eſt qualitate omni carens materia, quam poteſtate corpus Ariſtoteles appellat: alterum ſecundum, quod qualitate affectum eſt. cuiuſmodi eſt & æs & Socrates, ijs quæ ipſis inſunt, aut de ipſis prædicantur. Subiectum enim cum alicuius ſit ſubiectum, dici ad aliquid uidetur. Aut igitur abſolute & communiter, aut proprie & priuatim eorum quæ in aliquo inſunt, & de aliquo prædicantur ſubiectum eſſe dicitur. Abſolute quidem omnibus quę fiunt & prædicantur, materia prima eſt ſubiectum. Quibuſdam uero ſubiectum quæ fiunt & prædicantur, æs & Socrates eſt. Cum igitur duo hæc ſubiecta ſint, efficitur, ut multa ex ijs quæ inſunt, ſi ad primum ſubiectum referantur, in ſubiecto ſint, ſi ad ſecundum, non ſint in ſubiecto, ſed partes eius eſſe cenſeantur. Nam omnis color, & omnis figura, & omnis qualitas primę materię in ſubiecto ſunt: quippe cũ in ea exiſtant nõ ut partes ipſius, & ſine ipſa eſſe non poſſint. At ſecundi ſubiecti color & figura non omnis in ſubiecto eſt. ſed quando eſſentiam eius non abſoluunt, tunc huiuſmodi qualitates in ſubiecto eo ſunt. In niue autem non in ſubiecto ſunt, ſed ipſæ ſunt ſubiectum. albedo enim niuis neq; de ſubiecto dicit̃ alio corpore, neq; in ſubiecto corpore eſt, ſed ut pars eſſentiam explet. Ariſtoteles itaq; ſecundum ſubiectum in doctrinam aſſumens omne id quod non eſſentialem in modum alicui ineſt, in ſubiecto eſſe inquit: atq; entia ea eſſe ſtatuit quæ eſſentiam complent: quæ non complent, ea non partes rei, ſed accidentia & affectiones appellat. ita ut primi ſubiecti qualitates et quantitates accidentia & affectiones ſemper ſint: ſecundi uero ſubiecti quando eſſentiam eius explent, partes ſint.

Quòd ratio eorum quę ſunt in ſubiecto, communis etiam illis ſit, quę in ſubiecto non ſunt. Cap. 22.

Seleucus.

SEd ſi quis etiam concederet non eſſe partes ea quæ ſunt in ſubiecto, abſurdum tamen eſſe illud uidetur, ꝙ diffinitio hæc eorum quæ ſunt in ſubiecto, illis etiam conueniat, quę aut in ſpecie, aut in genere, aut in partibus ſunt. Neq; enim ſpecies pars generis eſt, quippe cum detracta ſpecie adhuc ſeruari genus poſſit: ut animal, etiam ſi homo fuerit ſublatus: neq; eſſe ſine genere ſpecies poteſt. ſi enim animal non ſit, quo pacto homo erit? Quin etiam totum in ſuis partibus cum ſit, neq; pars ipſarum eſt: quid enim eſſet abſurdius, q̃; ſi totum partium ſuarum eſſe partem aſſereremus? neq; eſſe ſine ipſis poteſt. Quam ob rem ratio hæc non ijs tantũ quæ ſunt in ſubiecto, ſed illis etiam eſſe communis uidetur quę in ſubiecto non ſunt. *Dexip.* At enim ſpeciem non ita quidem eſſe partem, ſicut manum totius corporis, ſed tanquam partem tamen conſiderari perſpicuum unicuiq; eſt. Ariſtoteles autem non dixit, quod in aliquo ineſt non pars, ſed non tanquam pars: ut hoc dicendi modo illud quoq; quod ut ſpecies ineſt, exceptiſſe uideatur Totum autem non in aliqua ex ſuis partibus, ſed in omnibus conſideratur. Ipſe autem inquit, quod in aliquo non tanquam pars ineſt. Totum igitur quoq; excipi ea particula intelligendum eſt, cum inquit, non tanquam pars. non enim ſolũ quod ineſt non debet eſſe pars, uerum etiam ſubiectum oportet non eſſe partem eius quod ineſt. Totum ſiquidem in omnibus partibus cum ſit, de ſubiectis ipſis dicitur.

Quòd odores cum ſint qualitates, & in ſubiecto, ſeparabiles ſint. Cap. 23.

Seleucus.

AT illud quod inquit, non poteſt eſſe ſine eo in quo eſt, quo pacto abſurdum non ſit, non uideo: cum odor & a pomis & a roſis ſeparari manifeſte conſpiciatur. Qualitates enim ſæpenumero remanent, cũ tamen ea in quibus prius erant, nõ amplius ſint: cuiuſmodi eſt odor, qui ex uino iam epoto, & allio comeſto exiſtit. *Dexip.* Sed aduertendũ eſt, non dixiſſe Ariſtotelem, non poſſe ea quæ ſunt in ſubiecto ab ijs ſeparari in quibus inſunt, ſed ſine ipſis & ſeorſum eſſe non poſſe. Nam ſuauis odor ſeparari quidem a roſis poteſt, ſine ipſis tamen eſſe non poteſt: ſed uel interit prorſus, uel in alia ſubiecta traducitur. Id quod exactius etiam ſequens additio declarat. Non enim dixit, ſine eo ſolo & ſeorſum ab eo ſolo eſſe non poſſe, in quo erat, ſed abſolute a quocunq; in quo eſt. Vnde etiã ſi ſubiecta permutet in aere ſuſceptus odor, qui in pomo prius erat, in ſubiecto tamen quodam adhuc eſt. Atq; ita fit, ut nullum acc

euidens reperiatur, quod effugere hanc diffinitionem ullo modo poſſit.

Dubitationes complures de proprietate eorum quę de ſubiecto dicuntur, & earundem ſolutiones. Cur item homo de Socrate dicatur, ſpecies vero non ita. Cap. 24.

Seleucus.

AT uero quo pacto contentioſis occurrere poterimus, qui cũ ea quę non inſunt, ita ſumpſerint, quaſi de ſubiecto prædicentur, ratiocinationem contradictionis ad ſubiectum conſtituunt. ut cum hominem de ſubiecto de Socrate prędicari, non eſſe Socratem, autem de homine dici aſſerunt. *Dexip.* Aduerſus hos obijciemus, non ꝙ ut Stoici dicunt, negatiua in eſſe ſtatuant, ſed ꝙ ſicut Ariſtoteles docet ea quę eſſentiali modo inſunt, non ſumant. id enim iſti omittentes captioſæ ratiocinantur, dum ea quæ non inſunt, quaſi eſſentiali modo de ſubiecto dicantur, aſſumunt. *Seleu.* Si uero non omnino de altero dici genus, cum de ſpecie dicitur, contenderet quipiam: propterea ꝙ eadem ratione de ſubiecto prædicatur, & quatenus ipſi eandem eſſentiam participat. Genera enim mente & cogitatione a ſpeciebus ſeparamus: quippe cum ipſa per ſe non ſubſiſtant, ſed in ſpeciebus eſſentiam ſuam habeant. Quid ad hoc reſpondere poſſemus? *Dexip.* Quid aliud, ꝗ quod in his uidetur eſſe idem, reſpectu quodam & ratione diuerſum eſſe: eo modo quo indiſtributum a diſtributo diſtat. Genus enim nondum diſtributum eſt, perinde ac ſi hominem per ſe ipſum conſideremus: ſpecies uero iam eſt diſtributa in peculiares differentias, non ſecus ac ſi ciuem ac tribulem excogitaremus. *Seleu.* Sed quo pacto ſit, ut homo de Socrate, & ſpecies de homine dicatur, ſpecies uero de Socrate prædicari minime poſſit: & item de homine animal, & de animali genus, de homine autem genus non ita? *Dexip* Propterea ꝙ iuxta nomen tantum, non autem iuxta rationem etiam ſuperiora hic de inferioribus prædicantur. Neq; enim ſi quis uelit aſſignare quid ſit homo, ſpeciem dicet, neq; rationem ſpeciei homini attribuet. Idem de genere dicendum eſt. Pręterea ſpecies & genus alijs accidunt, & ad diſtinctionem aſſignari conſueuerunt, alterum ꝙ non ſit ex ſpeciebus, altera ꝙ ex indiuiduis non ſit ea res, cui attribuuntur. At quæ de ſubiecto dicuntur, eſſentiam rei uniuſcuiuſq; explent. Accedit, ꝙ hæc de omni dicuntur: omnis enim homo eſſe animal, merito dici poteſt: eo ꝙ nihil eſt ex ijs quæ ſub homine ſunt, de quo animal non dicatur. Omnem uero hominem eſſe ſpeciem, falſo aſſereremus, & omne animal eſſe genus, non uere dicitur: quippe cum aliquis homo, homo quidem ſit, non tamen ſpecies: item aliquod animal, animal cum ſit, eſſe genus non poſſit. Species igitur & genus de omni minime prædicantur: ſed communitates quędam cum ſint, de homine aut animali ita dici conſueuerunt. Illa enim differentia eſt, ꝙ homo & animal eſſentiam expleat, ſpecies & genus nominis tantum impoſitionem iuxta communem reſpectum indicant. non enim homo aut Socrates ea communitas eſt, quæ de ipſo prædicatur. Vnde nominis potius uidetur eſſe expoſitiua, quanam ad aliud ratione habita aut homo, aut animal fuerit appellatum. atq; ita primorum nominum ſecunda ipſa ſunt nomina Non enim principalem dictionum obtinent ſignificationem, neque naturam ipſam rerum quæ nominantur, ſignificant: ſed qua ratione nominatæ res ipſæ ſint, indicant.

Quo modo quaſdam, & quo modo omnes, & quales vtroque modo dicat prædicari differentias, & eius quod prædicatur, & eius quod ſubijcitur. Cap. 25.

Seleucus.

SEd contraria in ſe habere præſens inſtitutio uidetur: Cũ enim inquit, nihil prohibere, quin ſubalternorum generum eædem ſint differentiæ: quaſi de quibuſdam, & non de omnibus abſolute loqui uidetur. Cum uero poſtea ſubiungens, ſuperiora de inferioribus prædicari, & quæcunq; eius quod prędicatur, ſunt differentię, eas eſſe etiam ſubiecti aſſerit, quaſi de omnibus differentijs in uniuerſum nulla excepta, ita definit. *Dexip.* Non eodem modo ſane de quibuſdam, & de omnibus, ſed diuerſa ratione exponit. cum enim aliæ ſint ſpecificæ differentiæ, quibus in ſpeciem redigitur, & qualitate afficitur genus, ut animal animato & ſenſibili, quæ ipſius eſſentiam abſoluunt: aliæ uero diuiſiuæ, quibus genus in ſpecies ſuas diuiditur, ut animal in rationale, et irrationale: perſpicuum eſt, eas differentias quę quantum ad eſſentiam

attinet,

attinet, inſunt in ſpecie, multo prius futuras eſſe in aui: eas uero quibus genus in ea ſecatur, quæ ab ipſo continentur, interdum futuras, ut irrationale, interdum minime, ſi nullam communicationem cum ipſa habuerint: cuiuſmodi eſt rationale. Verum igitur eſt & quaſdam & omnes eſſe eas differentias quæ prædicantur, & ſubijciuntur: & quænam utræq; ſint, diſtinctum iam eſt. Non eſt itaq; emendandus locus, ut in contrarium commutetur enunciatio, in in hunc modum: quare quæcunq; ſubiecti ſunt differentiæ, eædem eius etiam erunt, quod prædicatur. Falſa enim eſſet emendatio. non enim hominis differentiæ, puta bipes, & loquens, & reliquæ de animali dici ullo modo poſſent. Sed ut non omnes prædicētur, diuiſiuis: ut omnes, ſpecificis conuenire manifeſtum eſt. Ac mihi quidem ipſe etiam hoc uidetur declarare, cum ſuperius ab inferiori ex oppoſito diſtinguit, non in generibus tantum, uerū etiam in differentijs diſtinctione huiuſcemodi uſus. Superius igitur eas eſſe differentias ſtatuemus quę ſubſtantiam ipſam explent, quas de ſubiectis etiā prædicari licet: Inferius, quicquid in prioribus ipſorum generibus continetur: hoc eſt eas differentias, quæ prædicari interdum nequeunt. Diuidere etiam differentias quiſpiam hoc pacto poſſet, ut alias generales, alias ſpeciales appellaret: ac ſpeciales quidem eas, quibus & genus ſecatur, & ſpecies quę ſub genere ſunt, formantur, ac conſtituunt: generales uero, ipſas generum ſubſtantiæ expletiuas, quæ generibus ipſis formam afferunt. Sunt tamen quædam etiam ex diuiſiuis, quæ ineſſe iiſdem poſſint, ut in ſubalternatis demonſtratum eſt.

Quod nonnulla licet ſint genera diuerſa, eaſdem tñ differentias habeant. Cap. 26.

Seleucus.

QVid uero dicturus ad illud es, q diuerſa genera eaſdem differentias habeant? æquilatera enim & inæquilatera ex æquo rectilineæ figuræ appellantur: atq; unum & idem rectilineæ figuræ nomen eſt, quod de utriſq; ipſis dicatur. Virtutum item & uitiorum quæ genere inter ſe diſtant, eaſdem eſſe differentias conſtat: quippe cum tam rationale, q irrationale de utriſq; prædicetur. *Dexip.* At qui huiuſcemodi dubitationes afferunt, errare ex ignoratione diuerſi generis uidentur. Hæc enim quæ commemoraſti, licet non ſint ſubalterna, diuerſa tamen non ſunt: ſiquidem ſub unum commune genus rediguntur: ſicut æquilatera & inæquilatera ſub figuram. nam uirtutem & uitium quoq; ſub habitum referri nemini dubium eſt. ut diuerſa propterea huiuſcemodi genera non amplius ſint.

Dubitationes de diuerſo genere. Cap. 27.

Seleucus.

HIs ſimiles fortaſſe etiam illæ dubitationes ſunt. Terreſtre enim, inquiunt, & uolucre, & animal, & auis, eaſdem habent nonnullas differentias: non igitur in congeneribus tantum, & ſubalternis, uerum etiam in inter ſe diuerſis generibus eædem differentiæ interdum reperiuntur. *Dexip.* Hoc eodem modo falſum eſt. unde eadem etiam reſponſio conueniet. Non recte inquam, ita enim ad iſtos etiam dicendum eſt, non recte o boni uiri diuerſa genera ſumitis. Quippe cum non ea quæ parum uariant, ſint diuerſa, ſed ea quę undequaq; ſeparata inter ſe ſunt. *Seleu.* Si uero dicant, animal terreſtre, & animal uolucre cum ſubalterna non ſint, ſed inter ſe ex oppoſito diſtincta, iiſdem differentijs uti conſpiciuntur: nam & carniuora, & ſeminiuora utraq; ſunt: quid erit obijciendum? *Dexip.* Idem proculdubio. nam terreſtre & pedeſtre cum in animali utraq; conueniant, non uſquequaq; diuerſa inter ſe ſunt.

Quid ſit ſpecies, & quid differentia, quo pactoq; a ſe mutuo diſtent. Cap. 28.

Seleucus.

SEd quæſo mihi & ſpeciei, & differentię rationem breuiter explica. *Dexip.* Species quidem communem habet rationem, & a proprio genere ſpecificis differentijs ſeparata eſt: propriamq; communitatis diſtinctionem habet, q ſicut genus ſpeciebus, ita ipſa indiuiduis ſe ſe communicat. Differentia autem eſt, quæ ad diſtinguenda ea idonea eſt, quę ſub eodem genere collocata ſunt: quaq; fit, ut unaquæque ſpecies differat. quantum enim ad genus ſpectat, ſpecies altera ab altera nullo modo diſcrepat. Tametſi non id quod abſolute ſeparat, eſt differentia, ſed quod in eſſentia rei ſeparationem facit. licet enim nauigare ab alijs animalibus nos diſtingat, non tamen propterea nauigabile differentia hominis eſt: quippe cū non in eſſentia,

ſed in accidente diſtinctio ea conſpiciatur. Differentia igitur eſſentię eſſe pars debet. proprietatem enim eorum quę diſtinguuntur, in eſſentia definit. Species igitur & differentia ita inter ſe diſtat, ut totum a parte. quemadmodū.n. nomen hoc rationale ſeſe habet ad diffinitionem, ita res quoq; quæ a differentia ſignificatur, a ſpecie ipſa continetur.

Vnde generis, & ſpeciei, & differentiæ inuentio ſuppetat. Cap. 29.

Seleucus.

QVoniam uero in omnibus maxime eſſe neceſſarium uidetur, ut earum quæ proponuntur conſiderationes, inuentionem cognoſcamus, hic quoq; enitendum eſt, ut in præſenti re quadam artificioſa methodo inuentionem nobis horum præfinias. *Dexip.* Ex communitate quidem ſubſtantiali & genus & ſpeciem inueniri perſpicuū eſt. Propterea ꝙ quemadmodum ſuperius definitum iam eſt, ſicut ſpecies communitate ſua ad indiuidua, ita genus uniuerſalius cum ſit, ad ſpecies diffunditur. At differentia ex diuerſitate quæ ſpeciebus notam imprimit, inuenitur. eſtq; media inter ſubſtantiam & qualitatem, ſiue quia ex utriſq; conſtituta ſit: ſiue quia aut ſubſtantia qualitatem, aut econtrario qualitas ſubſtantiam admiſerit: ſiue quia inter qualitatem & ſubſtantiam ita ſit interiecta, ut utraq; extrema fuerit egreſſa. Opus igitur eſt, ut differentiæ ratio ab eſſentia ſpecierum nuſquam abſit: alioqui ex accidenti erit. Sicut enim ex communicatione eſſentię ad ſpecies generis inuentio exiſtit: ſpeciei uero, cum ea quæ numero diſtinguntur, in eſſentia communicant: ita ex diuerſitate quoq; quæ in proprietate eſſentiæ conſideratur, differentiæ ſumuntur. atque hoc pacto eorum facile haberi inuentio poteſt.

Quo pacto dixerit, diuerſæ ſpecie etiam differentiæ. Cap. 30.

Seleucus.

EXplana quęſo illud quod inquit, diuerſorum generum diuerſas quoq; eſſe ſpecie differentias. *Dexip.* Specie inquit, pro ratione & diffinitione. quemadmodum in topicis quoque mos ipſi eſt, ut utraq; hæc uiciſſim alterum pro altero ſumat. Vult autem accurata hac loquutione maius quicpiam nobis declarare. Ne enim nomini tantum attendentes eaſdem & uaſis & animalis eſſe differentias diceremus, uerbi cauſa pedatum & impedatum: propterea adiunxit ſpecie & ratione. Hæc enim nomine ſolo differentias habere eaſdem uidentur. Vel ita etiam dicere poſſemus, diuerſas eſſe ſpecie differentias, quæ in ſpecie uniuſcuiuſq; ex diuerſis generibus ſumuntur: hominis uidelicet in animali, & muſicę in ſcientia. Diuerſas item ſpecie eas poſſumus intelligere, quæ ſpecificæ ſunt. ne uidelicet eas ſumat quicpiam, quæ ex accidenti attribuuntur, ut eſt nauigare hominis. Non enim quæ quomodocunq; ſeparant, ſed quæ in ſpeciei formatione & eſſentia diſtingunt, eæ proprie diuerſæ ſpecie differentiæ ſunt.

Quo pacto indiuiduum & vnum numero dicatur. Cap. 31.

Seleucus.

REliquum eſt, ut quidnam ſit indiuiduum, & unum numero, exacte diſtinguamus. *Dexip.* Indiuiduum quidem dicit, non quod indiuiſibile ſit, & ſecari in partes nō poſſit: ſed quod neq; generis in ſpecies, neque ſpeciei in ea quæ ſigillatim numero diſtincta ſunt, partitionem admittat. Quodlibet autem ex ſenſibilibus unum dicitur, non ex una poteſtate, quam habeat, ſed quia omnia in unam eſſentiam tendant. Quia uero unum & genere & ſpecie & pluribus alijs modis dicitur, icirco præfinit nunc ſe unum numero intelligere: neque id tantummodo quo numeramus, ut calumniātur nonnulli, uerum etiam quod numeratur. Quippe cum quinque etiam equos in numero quodam eſſe dicamus.

Quo pacto vnus & indiuiduus ab vno & indiuiduo poſsit differre. Cap. 32.

Seleucus.

SEd ſi ſpecies eſt quæ de pluribus differentibus ſpecie in quid ſit, prædicatur, qua re indiuiduus unus ab uno & indiuiduo diſcrepabit? nam unum numero tam hunc ꝙ illum eſſe perſpicuum eſt. *Dexip.* Qui quidem dubitationem hanc eo modo ſoluunt, ut dicant ex propria qualitate differre unūquemq;, quia uidelicet hic uerbi cauſa naſi aduncitate, aut flauitate capillorum, ille ſimitate, aut caluitie, alius aliquo alio qualitatum concurſu peculiari prędi-

tus ſit:

tus ſit:non recte ſoluere mihi uidentur. non enim qualitatum concurſus facit, ut numero quic-piam differat:ſed ut qualitate. Magis igitur hoc pacto dubitationi huic eſt occurrendũ. ꝙ quæ numero diuerſa ſunt, natura & eſſentia a ſe mutuo non differant, ſed diuerſa in eo ſint, ꝙ numerantur. Diuerſa igitur ſunt in eo, ꝙ ſunt numerabilia:quippe cum in eo ꝙ ſigillatim unumquodq; numeratur, numerus accedat. Differentia igitur numero, hoc eſt diſtantia, eatenus mihi uidetur appellare, quatenus ſunt numerabilia. ut quod de ſpecie dicitur, huiuſmodi ſit: ſpecies eſt, quæ de pluribus & differentibus in eo ꝙ numerantur, prædicari conſueuit:ut differre pro diſtare dictum eſſe intelligamus.

Quòd prædicamentorum diuiſio non redundet. Cap. 33.

Seleucus.

AVdiui autem huic prædicamentorum diuiſioni a quibuſdam uitio dari, ꝙ redundaret. Facere enim & pati non recte aiebant fuiſſe inter ſe diſtincta:cum utraque ſub unum genus quod eſt moueri, referri debuerint. *Dexip.* Sed horum criminationi illud obijciendum, ꝙ neq; quod facit, in eo ꝙ facit:patitur:neq; quod patitur, facit in eo ꝙ patitur. neq; in compoſitis duo in idem conueniunt, ex eo ꝙ duo principia ad unum & idem coire utraq; nõ poſſunt. In patiendo igitur eſt quidem, ut moueatur. quod facit tamen, immobile cum ſit, tantum mouet. Sunt tamen nonnulla quæ faciunt ex ſenſui expoſitis rebus, quæ propterea ꝙ duo in ſe principia habent, ex accidenti etiam moueãtur. Id quod non repugnat ijs quę de cauſis ex opinione eiuſdem dicuntur. *Seleu.* Aliud rurſus crimen infertur, ꝙ ſuperuacua ſit hęc diuiſio. Nam alij ita diuidendum eſſe cenſent, ut alia per ſe ſint, alia ad aliquid: atq; his comprehendi genera omnia exiſtimant. Alij ſatis eſſe opinantur, ſi in ſubſtantiam tantum & accidens diſtributio efficiatur. *Dexip.* Sed utriq; errant. Qui enim bipartito ſecant prędicamenta in ſubiectum & accidens, ij ſane primam Ariſtotelis diuiſionem quæ in pauciſſima genera fit, quadam ex parte uidentur attingere:atq; in hoc recte ſe gerunt. In eo tamen peccant, ꝙ uniuerſali & particulari omiſſo diuiſionem imperfectam relinquunt. Qui uero in ſubſtantiam, & ad aliquid partiuntur, propterea ꝙ accidentia alterius ſint, atq; ita prędicamenta uniuerſa in duo ſola genera redigunt:ij inopiæ nominũ inſultant. Quatenus enim ſunt accidentia, non omnia ſed unum tantum eſt quod ad aliquid dicatur. Sed omnia tamen accidentia eſſe ad aliquid ex eo uidentur, ꝙ nos eorum nomina quæ ſimul ſignificari conſueuerunt, quia nota ſunt, detrahimus. albedo enim eſſe alicuius uidetur:cum per ſe alicuius non ſit. Nam hac ratione ea quoq; quæ præcipue per ſe ſunt, ad aliquid eſſe dicerentur. Socrates enim Sophroniſci dicitur, non eatenus, quatenus eſt Socrates:ſed quatenus eſt filius, quod tamen quia notum eſt, prętermittere conſueuimus. nam ea ratione qua eſt Socrates, eum nullius eſſe perſpicuum eſt. Sic accidens, ſi ad ſubiectum referatur, ad aliquid eſt:non ſecus atq; ager, qui ſi ut poſſeſſio conſideretur, alicuius eſſe dicitur:per ſe autem ſumptum, natura quædam eſt peculiaris. Sic materia quoque & ſubiectum, quatẽnus his nominibus nuncupatur, ad aliquid eſt:alicuius enim & materia & ſubiectum dici conſueuit. in eo uero ꝙ eſt principium, ſeparata res eſt, ac per ſe. Oportet igitur, ut non uerborum uſum, ſed rerum ipſarum naturam perpendamus: neque nominum inopiæ inſultemus, ſed diuerſas rerum proprietates attendamus. Si enim ita fecerimus, non pauciora eſſe genera q̃ decem reperientur. *Seleu.* At ſi quis tanquam ſubiectum diuidendo partitionem hanc in decem ſuperuacuam corrigendam putaret? *Dexip* Ipſe etiam falleretur, cum ad unum & præfinitum ſubiectum ea quæ circa ipſum eſſent, indefinite diſtingueret. Atq; hæc quidem in præſentia breuiter aduerſus eos diſputata ſufficiant, qui prædicamentorum diſtributionem eſſe ſuperuacuam aſſerunt.

Quòd prædicamentorum diuiſio non deficiat. Cap. 34.

Seleucus.

AD eos etiam tibi occurrendum reſtat, qui deficere ipſam arbitrant̃. Quid enim, inquiunt, facere & pati inter ſe diſtinxit, habere uero & haberi non item? *Dexip.* Non ſane quia prætermiſerit quicpiam, ſed quia in prædicamentum poſitionis, quod præfinitum iam erat, incidebat:quippe cum habere ſcutum quiſpiam dicatur: & ſcutum item haberi, dum ita quodã modo poſitum eſt, & circuniectum. Non aliud quid igitur eſſe poſitionem exiſtimandum eſt, q̃ ordinem quendam eorum quæ habent̃. *Seleu.* Sed cur, aiunt, coniunctiones omiſit?

Dexip. Quia non principalis eſt earum uſus in oratione, ſed ſecundus, neq; perfectus, ſed imperfectus, ut notam potius, ꝗ dictionem aliquam præ ſe ferat. Non enim principali ratione ſignificant, ſed eum in modū, quo quas διπλᾶς uocant. i. duplas faciunt: hoc eſt notę illę duplicium linearum, quas carminibus aſcribere conſueuimus: quæ ſimul cum oratione abſolutam ſententiam indicant, per ſe uero ſumptæ ſignificant nihil. Sic coniunctiones una cum alijs orationis partibus ſignificant, per ſe non ſunt ſignificatiuæ, ut glutino perquam ſimiles eſſe uideantur. Vnde neq; inter elementa orationis eſſe eas ſtatuimus: ſed ſi modo partes dicendę ſunt, dictionis partes erunt, non orationis: & ſi ſignificant, in conſtrunctione ſignificant, non ſecus ac pa ſyllaba. Hic autem de dictionibus quæ ſine conſtructione & per ſe ſignificant, ad antecedentéq; orationis, non ad ſubſequentem uſum ſpectāt, eſſe diſputationem aſſerimus. *Seleu.* Alij de articulis inquiunt, ubi conſtituendi ſint. *Dexip.* Sed de his dicendum idem eſt, quod de coniunctionibus. coniunctionum enim in maribus & fœminis uim habent, una cum eo ꝙ ſubiectum indefinite ſimul ſignificant. Vnde etiam indefinitos nonnulli eos uocant. τὸ enim articulus. i. hoc, ſubiectum indicat: qui ſi cum mare iungatur, marem, ſi cum fœmina, fœminam exprimit. Deductum autem eſt τόδε. i. hoc, ἀπὸ τοῦ τινὸς, id eſt ab aliquo. Vterlibet uero ex articulis marem, uel fœminam in conſtructione ſimul indicat: per ſe autem ſignificatione caret. *Seleu.* At negationes, inquiunt, & priuationes, & indefinita, & modi uniuſcuiuſq; prædicamenti, ubinam conſtituentur? *Dexip.* Hoc Ariſtoteles ipſe explicat. propoſitis enim prædicamentis una cum caſibus, & negationibus, & priuationibus, & indefinitis, ſimul de ipſis doctrinam inſtituit. caſus enim modos appellat. Excalciatum igitur eſſe eiuſdem eſt prædicamenti, cuius eſt eſſe calciatum: & exarmatum eſſe, ſicut eſſe armatum in prædicamento habendi cōſtituitur. negationes etiam in eo ſunt, in quo affirmationes, & indefinita in quo definita. In uniuerſum enim negationes & priuationes in eo eſſentiam ſuam habēt, ꝙ ea quæ deſtruuntur non ſunt. Vnde in ea quæ ſunt in habitu, & affirmantur, referri merito debent. Mortuus enim ibi erit, ubi eſt uiuens: & cæcitas, ubi habitus eius reperitur: & cætera eodem modo. Quin de uno etiam ꝙ extra prędicamentorum ſeriem non exeat, multis modis demonſtrare quiſpiam poſſet. Nam ut principium numerorum, & ut pars, inter ea quæ ſunt ad aliquid, collocabitur. ſi quis uero incorporeum, & per ſe numerum eſſe ſtatuat, unitas ſubſtantia erit. Si autem numerum duplicem ſtatuamus, unitas in duobus generibus reperietur: quippe cum ſi ad ea referatur quæ ex compoſitione numerantur, in ijs quæ ſunt ad aliquid: ſi ad intelligibilia ſpectet, in ſubſtantia ſit. Si quis uero unitatem partem etiam quantitatis eſſe opinetur, ut Alexander, in quantitate etiam erit. Tametſi hoc falſum uidetur. Vbique enim diuerſus eſt terminus ab eo, quod termino circunſcribitur. Quocirca unitas quoque cum terminus, & principium quantitatis ſit, eſſe quantitas non poteſt. Sed melius tamen fortaſſe eſt, ut unum æquiuocum relinquamus, cum multis alijs modis, tum ſicut etiam nunc dicimus: non enim ex eo ulla eſſe diuiſio principalis in prædicamenta: neque in unum genus ulla eſſe præfinita prædicamentorum conſtitutio poteſt.

Quòd alia loco aliorum prædicamentorum genera non introducat. Cap. 35.

Seleucus.

ATque hunc locum quidem aduerſus eos qui diſtributionem hanc deficere aſſerebant, ſatis expurgaſti. aduerſus eos autem quo modo te geres, qui alia loco aliorum prædicamentorum genera introducere Ariſtotelem dicunt? Faciendi enim & patiendi motionem debere eſſe genus affirmant. quippe cum neq; ipſa in aliud genus poſſit redigi, neq; ſuperius aliud genus habeat, quod de ipſa in quid ſit, prædicetur. non enim in faciendo ſtatui poſſe, cū in patiendo quoq; multæ motiones ſint. *Dexip.* Ad hæc illud diſtinguendum eſt, ꝙ quód poteſtate & actu eſt, æquiuoce in decem prædicamentis conſideratur. Quocirca neq; poteſtatem neq; actum reponere in prędicamento ullo debemus: quippe cum ęquiuocorum, & eſſentia prorſus diuerſorum unum eſſe cōmune genus nullo modo poſſit. Cum igitur motio quoque a poteſtate in actum & perfectionem pregrediatur, alio modo in qualitate, alio in quantitate, alio in alijs prædicamentis, ob æquiuocationem fieri nequit, ut unum prædicamentum excogitemus, quod ipſi aſcribamus. Quod ſi ſtatum quiſpiam introducat, eadem dicenda aduerſus ipſum ſunt. tum illud inſuper, ꝙ ſtatus non his quæ in generatione conſtituta ſunt, ſed intelligibilibus rebus conueniat. Si item in eo quod quodam modo ſe habet, pleraq; prædica-

menta conſtituat aliquis, ut Stoici ſolent: eum plurimas res prętermittere demonſtrãdum eſt: quæ in loco, & tempore ſunt: quantitates quæ & ad numerum, & ad magnitudines attinent: calciatum eſſe : & cætera huiuſmodi . nihil enim ex his eſt, quod in eo ꝙ quo modo ſe habet, contineri queat.

Quòd ens non vniuocum ſit, ſed æquiuocum. Cap. 36.

Seleucus.

SEd uniuocum eſſe ens aſſerere quiſpiam poſſet. nam et nomẽ, inquiũt, & diffinitio entibus omnibus conuenit. eſt enim unumquodq; ens, uel faciens, uel patiens, uel utraque. Quod ſi & nominis & rationis eiuſdem particeps omne ens eſt: ens uniuocum eſt. *Dexip.* Ad hoc facilis reſponſio eſt, ſi negemus eã eſſe entis diffinitionem, quod uel facit, uel patitur, uel utraque: propterea ꝙ rationis huius aſſignatio omnia quę ſignificantur, tanꝗ entia complectitur, quæ autem ea ſint, non exprimit. Sicut igitur diffinitio canis non eſt, animal terreſtre, aut marinum, aut cœleſte, ſed ea quæ naturam ipſius indicat: ita neq; antedicta ratio eſſe entis poteſt: præſertim cum neq; de ſpeciebus entis uera ſit. diffinitio autem generis ſpeciei quoq; conueniat neceſſe eſt. Quemadmodum igitur animalis diffinitio homini quoq; conuenit, ita hanc etiam rationem unicuique entis ſpeciei accommodari oportebat : utputa cani, aut homini, aut equo. Sed qui diffinitionem equi ita aſſignaret, ut eum eſſe, id quod facit, uel patitur, uel utraque, diceret, eſt nemo.

Quòd/eſt/vel de vnoquoque prædicamento prædicaremus, & ita in infinitum progrederemur: vel ſi ab ente declinatum eſt, & deductum, ens genus ſit. Cap. 37.

Seleucus.

DVbitare autem aliquis poſſet, quo pacto/eſt/quod in unoquoq; prædicamento dicitur, ſumi debeat. Vel enim idem ſignificat, quod illud de quo prędicatur, & diuerſum. Sed ſi idẽ eſt ſubſtantia, & eſt, ſuperuacuum uidetur, ut eſt/de ipſa prædicemus. poteſtate enim & ſubſtantia ſublãta, & qualitas qualitas erit. Quare ne nugemur, ſi de ipſis/eſt/prædicemus, diuerſum quid ſignificari dicendum eſt. At ſi/eſt/diuerſum ſignificat, atq; id in unoquoq; prædicamento, non decem tantummodo erunt prædicamenta, ſed altera etiam decem exiſtent, de quibus/eſt/prædicabitur. Adde ꝙ ſi iterum de ſingulis ipſis alterum/eſt/atq; ita deinceps prędicemus, infinite res progredietur. Si uero unum & commune in omnibus/eſt/ſit, quod prædicetur, ut ab ente/eſt/inclinatum ſit, ac deductum: ens eſſe omnium genus dicendum erit. *Dexip.* Licet manifeſte captioſa ratio hæc ſit, nihil uetat tamen, quo minus expediendæ ſolutionis cauſa, ipſi occurramus. Quando enim/eſt/de ſingulis prædicatur, ea additione ſingulorum eſſentia indicari cõſueuit. eſſentia enim, & eſſe ſubiectum, non ſeparatam quandam rem a ſubiecto ſignificat: ſed in unoquoq; prædicamento ex decem eſſentiæ illud atteſtatur, ꝙ non ſit res, quæ ſubſiſtendi ratione penitus careat, ſed ſubſiſtat, & ſit. Eſſe igiť etiã erit, & decẽ modis diceř, quot entia.

PRIMI LIBRI FINIS.

CAPITA SECVNDI LIBRI.

VTRVM diuiſio ſit an enumeratio in prædicamentis. Cap. 1.
Plotini dubitatio, ꝙ ſubſtantia & in primis entibus & poſterioribus idem non ſignificet, cum genus commune in iis non ſit, in quibus prius eſt, & poſterius. Cap. 2.
Quod licet ex Platonicis ſuppoſitionibus afferri huiuſmodi ſolutio queat: ex Ariſtotelicis tamen enodandum ſit quod in quæſtionem uenit. Cap. 3.
An & in ſenſibilibus & in intelligibilibus eadem genera entiũ ſit: Plotini dubitatio. Cap. 4.
Plotini dubitatio aduerſus Ariſtotelem, quidnam commune in materia, & forma, & ex utriſque compoſito inſpexerit, ut propterea omnia ſubſtantias appellarit. Cap. 5.

Plotini dubitatio de ſubſtantia, quænam ipſius prima, & maxime ſimplex notio ſit: quoq; pacto explicare ipſam liceat. Cap. 6.
Cur ſubſtantia alijs antepoſita fuerit. Plotini dubitatio. Cap. 7.
Quod aſſignata ipſius ratio, quid ſit ſubſtantia, non explicet. Cap. 8.
Quod proprium ſubſtantiæ non omnibus conueniat. Cap. 9.
Quo pacto hic ſubſtantiam ſenſibilem alijs omnibus anteponat, & primam appellet, alibi uero poſt incorpoream eam eſſe dicat. Cap. 10.
Quod ſibi ipſe uideatur aduerſari, cũ in naturalibus diſputationibus communia & prima, hic ſingularia & particularia anteponat. Cap. 11.
De communibus aduerſus Alexandrum digladiatio. Cap. 12.
Quod cauſa prius fuerit explicanda, qua ſecundæ ſubſtantię dicerentur. Cap. 13.
Quod cum primam ſubſtantiam magis & minus eſſe non demonſtrarit, ſpecies magis & minus eſſe dicat. Cap. 14.
Si nulla ſubſtãtia eſt magis & minus, quo mõ ſpecies magis ſubſtãtia ꝙ genus dicat̃. Cap. 15.
Quod ſi cauſam ſenſibilis ſubſtantię ſumit, minus ſubſtantiam ſumat. Cap. 16.
Quod generalem ſubſtantiam non diffinierit. Cap. 17.
Quod ſubſtantias non diuiſerit. Cap. 18.
Quod cũ inquit, manifeſtũ eſt ex dictis, non perſpicuũ ſit, de quibus dictis intelligat̃. Cap. 19.
Quod utilis de differentijs conſideratio ſit. Cap. 20.
Dubitatio de differentia ubi ſtatuenda ſit. Cap. 21.
Dubitatio, ꝙ differentiæ de ſubiecto non dicantur. Cap. 22.
Quo modo cum dixerit, omni ſubſtantiæ uidetur ineſſe hoc quiddam dici, deinceps ſubiungat, non tamen uerum hoc eſt. Cap. 23.
Si nihil contrariũ ſubſtantiæ eſt, quo pacto rõnale animal irrõnali contrariũ ſit. Cap. 24.
Si nihil ſubſtantiæ contrarium eſt, quo modo ignem aquæ, & alia elementa contraria appellet Ariſtoteles. Cap. 25.
Quod homo equo eſſe contrarius poſſit, uel aliquis homo alicui equo. Cap. 26.
Quo pacto formam priuationi, & materiam formæ eſſe contrariam in diſputationibus naturalibus dicat, ſi nihil contrarium ſubſtantiæ eſt. Cap. 27.
Quod nihil ſubſtantiæ eſſe contrarium in particularibus demonſtratum ſit, non in uniuerſalibus. Cap. 28.
Quo pacto cum prius dixerit ſpeciem magis ſubſtantiam eſſe ꝗ genus, hic non admittere magis & minus ſubſtantiam dicat. Cap. 29.
Quod qui magis eſt rationalis, magis ſit homo. Cap. 30.
Quo modo materia magis & minus dicatur. Cap. 31.
Quid in cauſa ſit, ꝙ ſubſtãtia magis & minus nõ admittat, qualitates uero admittãt. Cap. 32.
Cur adiũxerit uidetur dum proprium ſubſtantiæ aſſignat. Cap. 33.
Cur adiunxerit unum numero, dum ſubſtantiæ proprium exponit. Cap. 34.
Cum uolumus confirmare omni ſubſtantiæ ineſſe, ꝙ contrariorũ per uices ſuſceptrix ſit, non aduertimus deterius aliud nos probare, ꝙ non ſoli ipſi hoc inſit. Cap. 35.
Quod pater contrarium admittat, cum non ſit ſubſtantia. Cap. 36.
Aeternis ſubſtantijs proprium hoc non competere. Cap. 37.
Si quemadmodum genera & ſpecies ipſa per ſe ipſa contrarium non admittunt, ita neq; habitus & diſpoſitiones, ſed ſenſibilia quæ ſub ipſis ſunt: non erit hoc proprium ſubſtantię, ut contrariorum uiciſſim ſit ſuſceptrix. quippe cum quod in generali habitu & diſpoſitione ſpectatur, idem in generalibus quoq; ſubſtantijs conſideretur, atq; ita commune etiam alijs erit, ꝙ contrariorum uiciſſim ſint ſuſceptricia. Cap. 38.
Plotini dubitatio, ꝙ eſſe contrariorum ſuſceptricem per uices, tanquam accidens ſubſtantiæ inſit. Cap. 39.
Plotini dubitatio, ꝙ ſi quantum ad compoſitionem attinet, ſubſtantiam conſideremus, materia magis ſubſtantia eſſe inuenietur. Cap. 40.
Quod non ſubſtantiæ tantũmodo propriũ hoc ſit, ſed orationis quoq; & opinionis. Cap. 41.
Plotini dubitatio, ꝙ quænã ſit ſubſtantia non declaret hoc, qđ propriũ eſſe eius dicit̃. Cap. 42.

DEXIPPI PHILOSOPHI PLATONICI IN ARISTOTELIS PRÆDICAMENTA QVÆSTIONVM LIBER SECVNDVS.

Dexippus.

HACTENVS quidem o ſtudioſiſſime Seleuce nõnullas partim a ueteribus ſumptas, partim a te excogitatas dubitationes propoſuiſti. Nunc uero cum iam in ipſa prædicamentorum genera ſimus ingreſſuri, uiſne Plotini dubitationes ſeiũgere, atq; ultimo loco reſeruare, an ipſas quoq; prout uerba Ariſtotelis reqrent, ita interſerere?

Vtrum diuiſio ſit, an enumeratio in prędicamentis. Cap. I.

Seleucus.

MIhi quidem uidetur continuata diſputationis ſeries non eſſe interrumpenda, ſed deinceps quæcunq; inciderint, perpendenda. Quocirca antequam ſubſtantiam ineamus, de expoſitis his prædicamentis ſcire illud cupio: utrum diuiſa hic, an enumerata tibi eſſe uideantur. *Dexip.* Diuiſa quidem hic eſſe prędicamenta cenſendum non eſt. quippe cum neq; generis in ſpecies diuiſio ſit. non enim commune aliquod prædicamentorum genus eſt, aut ens, aut unum, ſicut nonnulli introducunt: neque ſi non eſt genus, quod diuidatur, eſſe ullo modo poſſunt ea, quæ diuidant. Quod ſi neque commune aliquod genus ſupra hęc inuenire, neq; diuiſiuas differentias poſſumus, diuiſio hęc appellanda non eſt. *Seleu.* Nunquid igitur militaribus ordinibus ſimilis diuiſio hęc eſt per centurias diſtinctis? quippe cum ſicut illic ſingulis aciebus ſinguli centuriones pręſunt: ita hic ſubſtantia ſubſtantiarum omnium, et cętera genera in ſingulis prædicamentis eorum quę ſub ipſis ſunt, omnium principatum obtineãt. *Dexip.* Sed ſi ita dicamus, diſperſa quædam ac diuulſa multitudo entium erit, ſimiliſque ijs qui ex diſtantibus tribubus, & curijs congregantur. id quod ſeriei perpetuitatem, mutuaeq; connexionis diſpoſitionem tolleret. Rectius igitur eſt, ut genera quibuſdam primis proprietatibus diſtinguamus, atq; ita eſſentiæ uniuſcuiuſq; rationem per ſe circunſcribamus: ut eo pacto ſingula a ſe mutuo ſeparentur. Tametſi quatenus accidentia circa ſubſtantiam ſunt, & in ſubſtãtia, & cum ipſa procuKdubio connectuntur: eatenus aſſerere ſimilia eſſe illis poſſumus, quæ ab uno, & ad unum referri conſueuerunt. *Selen.* Quid? nonne dici partitioni totius ſimilis eſſe diuiſio hęc poteſt? *Dexip.* Minime. Non enim quaſi concretum quoddam proprijs quibuſdam partibus circunſcribit: ſed in ſimpliciora, & elementalia reſoluit, elementalibus ſententiarum notionibus ſubinde utens. Ordinem tamen eum ſeruat, qui ad unum, & ab uno exiſtit. quippe cum inter entia ſubſtantia primum & præcipuum locum adepta ſit: accidentia uero circa ipſam ſubſiſtant.

Plotini dubitatio, quòd ſubſtantia & in primis entibus & poſterioribus idem non ſignificet, cum genus commune in ijs non ſit, in quibus prius eſt & poſterius. Cap. 2.

Seleucus.

AC de his quidem ſatis. Nunc ad primam Plotini dubitationem ueniamus. Quærit enim cum duplex ſubſtantia ſit, & intelligibilis, & ſenſibilis, quo pacto idem utrarumq; eſſe genus queat. Commune ſiquidẽ in utriſq; his quantum ad id quod ſunt, ſpectat, ineſſe quoddam uidetur. Quod ſi ſit, aliud prius his ſit, neceſſe eſt, quod neq; corpus ſit, neq; incorporeum. atq; ita aut incorporeum corpus, aut corpus incorporeum erit. *Dexip.* Facilis quidem ad hæc reſponſio eſſet: q; præter tractationis huius propoſitum dubitationem hanc afferat. Nam neq; de entibus, neq; de generibus primæ ſubſtantię diſputare nunc Ariſtoteli propoſitum eſt: ſed ita rem tractare, ut ad adoleſcentium captum, qui non niſi ſimpliciora percipere poſſunt, ac-

commodata ſit. Quapropter cum agere hic de dictionibus ſtudeat, quibus ineſt, ut de ſubſtantijs dicantur: in huiuſcemodi conſideratione Plotinus quęſtionem de rebus fruſtra introducit. Sed mihi tamen neq; id eſſe ſatis uidetur, ſi quantum ad præſentem rem attinet, dubitationis huius ſolutionem expediuerimus: niſi etiam ab ipſa Plotini philoſophia exorſi, ad uniuerſam eius contemplationem huiuſce rationis explicationem referamus. Vnum itaq; genus inter intelligibilia ſubſtantiam eſſe hic ſtatuit, quæ communiter & incorporeis ſpeciebus, & ſenſibilibus ac materialibus ut ſint, exhibet. Vnde ſi ita res ſe habet, & ſubſtantiæ origo in omnia diffunditur: eadem primorum, & ſecundorum, & tertiorum ordines obtinebit, quibus & his primo, & illis ſecundo, aut alio quodam modo eſſentiam exhibet. Atq; ita ſi omnia in ipſam referuntur, utpote quæ ab ipſa dependeant: huius quoq; deſcriptio ſignificare originem illam poteſt, ex qua ipſa in ultimam ſubſiſtentiam delapſa eſt.

Quod licet ex Platonicis ſuppoſitionibus afferri huiuſmodi ſolutio queat, ex Ariſtotelicis tamen enodandum ſit, quod in quæſtionem uenit. Cap. 3.

Seleucus.

AT ſi iiſdem ſuppoſitionibus quibus Plotinus, uteretur etiam Ariſtoteles: hæc quæ dixiſti, rationi conſentanea eſſe uiderentur. Sed tu cum ea quæ illi placent, quaſi conceſſa ſumpſeris, pro Ariſtotele decertaſti. *Dexip.* Ad hanc quæſtionem igitur iis utar, quæ in ſupranatu alium diſputationibus ipſe inquit. Sunt enim duæ ſubſtantiæ ex Ariſtotelis ſententia, intelligibilis, & ſenſibilis: inter quas mediam naturalem conſtituit. Ac ſenſibilis quidem eſt compoſita: naturalis ad materiam & formam ſpectat: ſupra quã intelligibilis eſt, & incorporea: quam immobilem mobilem tamen ſæpenumero uocat, propterea ꝙ motionis quæ in uita hac exiſtit, in cauſa eſt. Hęc enim ſunt, quę de his ſubſtantijs in undecimo ſupranaturalium libro Ariſtoteles demonſtrat. Atq; ita multas ſubſtantias in uniuerſam ſubſtantiam complexus eſt. Simul enim ipſas in unum ordinem redactas: ad unum principium refert. Valde enim ſcilicet aliud quicpiam unius eſſe particeps poſſet, ſi ipſa ſubſtantia quæ in uno eſſentiam ſuam habet, ordine eo priuaretur, qui ad unum reducitur. Cum itaq; inexplicabilia ea ſint, quæ intellectu percipiuntur, ad ea exprimẽda ex tranſlatione & proportione ab iis quæ ſenſui patent, nomine ſubſtantiæ utitur. Tribus enim modis fit ut eiuſdem nominis communionem aliqua habeant: æquiuoce, uniuoce, proprie, & per tranſlationem. Aequiuoce ut pes inſtrumenti ad alios inſtrumentorum pedes. Vniuoce, ut cum gladius gladio acutior dicitur, aut uox uoce. gladius enim uoce acutior dici non ſolet, propterea ꝙ acumen in utriſque generis diuerſi eſt. Proprie uero, & per tranſlationem, ut pes in nobis & montibus. Cum igitur ineffabilia ſint intellectualia, in eis ſubſtantiæ nomine tranſlatitie eſt uſus: ut a ſenſui expoſitis, nobiſque perceptis imperceptibilia manifeſtaret. Hęc igitur ſi ad intelligibilẽ referatur, ęquiuocã erit proportione ſola & conuenientia ſignificationem eius nobis afferens: ſi ad naturalem ſpectet, uniuoca, dum compoſitione eius illam nobis repreſentat. Quemadmodum enim in ſupranaturalibus incorpoream quandam ſubſtantiam uocat, quam propterea ꝙ ab intellectuali proceſſerit, ita appellat: quia uero ad ſenſibilem iam deuenit, cum corpore eſſe atteſtatur: ita hãc quoq; ſubſtantiam ad naturalem uniuoce, ad intellectualem æquiuoce appellans per eam de illis etiam docet: præſertim cum ipſius deſcriptio, ꝙ neq; de ſubiecto dicatur, neq; in ſubiecto ullo ſit, accommodari illis etiam poſſit. Atq; ego quidem o optime Seleuce ex decretorum rationibus paulo altius ita aduerſus Plotinum diſputo. ſed tu, quia profundiores fortaſſe hæ ſolutiones ſunt, ad eos qui ex philoſophia proficiſcuntur, huiuſcemodi reſponſionibus uti poteris: ad eos uero qui dogmatum ſunt imperitiores, faciliores ſolutiones afferes: illud ſubiungẽs, morem eſſe Ariſtoteli, ut conſentaneo quodam ordine traditiones ſuas faciat: atq; iccirco neque nunc quicq̃ a ſublimioribus philoſophię diſputationibus petitũ huc inferre: ſed ſubſtãtia hic ęquoce uti: cũ principale ei propoſitũ ſit, de dictionibus agere, ex accidenti uero & hęc & quę ab ipſis ſignificant̃, res etiã doceat. Vt ſupuacaneę de his introducendę q̃ſtiones non ſint.

Plotini dubitatio, an & in ſenſibilibus & in intelligibilibus eadem genera entium ſint. Cap. 4.

Seleucus.

IIſdem ne rationibus utendum erit, cum ita etiam inquiſierit Plotinus, utrum eadem prædicamentorum genera tam in primis entibus, q̃ in poſterioribus ſint: an in intelligibilibus plura, in

ra, in ſenſibilibus pauciora reperiantur, an econtrario? Dexip. Sed hæc ſuperiori de ſubſtantia per q; ſimilis dubitatio eſt. Quocirca a prædicamentorum propoſito eodem modo petere eius ſolutionem poteris. Iam etſi altera quoq; reſpõſio ex opinione ea ſuppetet, quam in ſupranaturaliũ libris Ariſtoteles exponit. Cum enim decem ſint uniuerſa genera, eſſe in compoſitis omnia aſſerit: quippe quæ in eo compoſitionem etiam maxime præ ſe ferant, q; in particularibus quoque ea omnia inſint. Additio enim & multiplicatio in corporibus ſubinde elucet. Quapropter in ſenſibilibus decem omnia prædicamenta inſunt. unde etiam in Socrate uniuerſa cõmonſtrari queunt. In illis uero quæ intellectu tãtum percipiuntur, non omnia, ſed ea tantum inſunt genera, quę ſimpliciſſimis, & perfectiſſimis conueniunt. Neq; fit propterea, ut diuiſio ipſa manca eſſe exiſtimari debeat. Non enim, ſi non omnia in illis inſunt, iccirco generum quę ad hęc ſpectãt, imperfecta diuiſio eſt. Sed quia & in intelligibilibus inſunt ea quæ ineſſe poſſunt, & in ſenſibilibus plura ob compoſitam ſubſtantiam ineſſe conſpiciuntur: ideo nihil deeſſe uniuerſali prædicamentorum diſtributioni cenſendum eſt.

Plotini dubitatio aduerſus Ariſtotelem, quid nam commune in materia & forma, & ex vtriſque compoſito inſpexerit, vt propterea omnia ſubſtantias appellarit. Cap. 5.

Seleucus.

RVrſus in dubitationem hanc Plotinus rem uocat: cũ tribus modis dicatur ſubſtantia, atq; alio modo alia, ecquænam ea ſit, quam prędicamento huic ſubijcit, materia ne, an forma, an quod compoſitum ex utriſq; eſt? Nam cum non una tantum ſit, neq; uno modo omnes dicantur, fieri non poſſe, ut præſentibus rationibus omnes ſubijciantur. Quocirca quancunque ſubſtituerit quiſpiam, neceſſe eſt, ut aliæ omittantur. Dexip. Sed enim qui unam & compoſitam dixit, is in ipſa eas quoque quæ ut partes continentur, complexus proculdubio eſt. In uniuerſum enim quod cum alio quicpiam componit, ac perficit, id alterũ in altero eſſe nullo modo poteſt. In eo igitur communicant omnia hęc tria, ſpecies inquam, & materia, & compoſitum, q; alterius non ſint, ſed ſui tantũ, q; que in ſubiecto nullo eſſe poſſint. Suntq; hæ tres ſubſtantiæ, cum ex una compoſita omnes ſignificentur.

Plotini dubitatio de ſubſtantia quænam ipſius prima & maxime ſimplex notio ſit: quoque pacto explicare ipſam liceat. Cap. 6.

Seleucus.

DVbitationem item affert Plotinus, non eſſe facile aſſerens, ut quænam ſit ipſa ſubſtantia, explicetur. Dexip. Sed ſi uis notionem eius inuenire, prius ad doctrinam eius, quæ per nomina fit, animaduerte. Confuſa enim & tota prima ſunt, quæ primo animi appulſu percipimus. Secunda uero ea, quæ rationem & diſtinctionem maiorem requirunt. Hæc igitur nũc exponit, quaſi proprietatem quandam ſubſtantiæ attribuens, q; neq; de ſubiecto aliquo dicatur, neq; in ſubiecto ullo ſit. Non eſſe enim in ſubiecto ipſam perſpicuum eſt: quippe cum & ipſa omnibus ſubijciatur, & ſine ipſa eſſe alia non poſſint. De ſubiecto autem non dici indiuiduæ ſubſtantiæ proprium eſt. propterea enim q; diuidi in ſpecies nequit, de ſubiecto nullo dicitur: ſed de ipſa ut de ſubiecto ſecundę dicuntur. Quæ igitur ſubſtantijs etiam alijs ſubijcitur, principali ratione & proprie ſubſtantia eſt: quippe cum ſi ea non fuerit, nihil eſſe ex alijs poſſit. Cum igitur tribus modis appelletur ſubſtantia, ſicut dictum eſt, de compoſita nunc mentionem facit. de reliquis uero duabus poſtea faciet, ubi ipſas quoq; eſſe partes ſubſtantiæ aſſeret.

Plotini dubitatio, cur ſubſtantia antepoſita alijs fuerit. Cap. 7.

Seleucus.

DIgnum quoq; inquiſitione Plotinus eſſe inquit, cur ſubſtãtia principem in prędicamentorum ordine locum obtineat. Dexip. Duas cauſas reperire quiſpiam poſſet, cur prima collocari ſubſtantia debeat. Vna, q; ſola ipſa eſt quæ omnibus ſubijciatur. ſiue enim materiam ſpectes, formis ſubſtat: ſiue formam conſideres & ſpeciem, accidentibus ſuppoſita eſt: ut utrobiq; quaſi fundamentum primum omnium ſit. Altera cauſa eſt, q; ipſa per ſe ipſa ſubſi

ſtit,& conſideratur:cętera in ipſa,aut non ſine ipſa poſſunt exiſtere.Prius autē illud eſt, quod per ſe eſt,q̃ quod cũ illo & non ſine illo exiſtit.Sic unitas quoq; eſſe prior dualitate ex eo con iungitur,q unitas etiam ſine dualitate,dualitas uero cum unitate omnino intelligitur.

Quòd aſsignata ipſius ratio quid ſit ſubſtantia,non explicet. Cap. 8.

Seleucus.

AT uero illud quoq; dubitationem habet:q non doceat, quid ſit ſubſtãtia, ſed ubi ſit: q que hæc ratio efficiat,ut non ipſam,ſed alia cognoſcamus.perinde ac ſi quis hominē diffinire uolens eſſe eũ, neq; equũ,neq; bouem,neq; canem diceret.is.n.quid non eſſet homo explicaret,quid uero eſſet,nihilo magis hac negatione ſignificaret,q̃ anteq̃ a principio diffiniuiſſet. Adde q neq; ſi proprium dicat quiſpiam,ut hominem eſſe riſibile,continuo rem percipimus. Dexip. Dicendum ad hoc eſt,non eſſe diffinitionem hanc,ſed deſcriptionem.pręterea multas eſſe diffinitiones quæ ſi nota ſatis rerum quæ negantur,affirmatio ſit, per negationem afferri conſueuerint Quemadmodum cum bonum & malum ſatis pateat, indifferens nonnulli ita diffiniunt,ut dicant,illud eſſe quod neq; bonum,neq; malum ſit.Iccirco hic quoq; prius ex poſuit,quod in ſubiecto eſſet,& de ſubiecto diceretur:ut ex negatione ipſorum poſtea maxime propriam ſubſtantiam manifeſtaret.Qua in re tamen neq; ſola negatione fuit contentus, ſed exemplo etiam ſubiuncto clarius ipſam explicauit.Non ſecus ac ſi quis ubi dixiſſet hominem eſſe neq; bouem,neq; equum,deinceps adderet,ut Socrates.

Quòd proprium ſubſtantiæ non omnibus conueniat. Cap. 9.

Seleucus.

DVbitat item Plotinus, atq; id quod inquit,ſubſtantiam una cum ſit,contrariorum per uices capacem eſſe,non omnibus neq; intelligibilibus.neq; naturalibus conuenire aſſerit. Dexip. Ad hoc ſane dicere illud poſſumus,ipſum nõ omnis ſubſtantię hic proprietatem appoſuiſſe:atq; id ex eo conſtare,q in principio deſcriptionis/eſt dixerit,cum ait:ſubſtantia autem eſt,quæ neq; de ſubiecto dicitur,neq; eſt in ſubiecto:deinceps uero ſubiunxerit,quę dicitur ſubſtantia:quaſi de ea intelligendum eſſe cenſeat,quæ in communi uſu nomine hoc nuncupari conſueuit.Alia enim eſt,quæ apud philoſophos,alia quæ apud alios ſubſtantia dicat. Huic igitur quæ apud pleroſq; dicitur,proprium hoc attribuiſſe eum cenſendum eſt. Omni etenim huic cõpoſitæ ſubſtantię,& ſpeciebus & generibus ipſius accommodatur.

Quo pacto hic ſubſtantiam ſenſibilem omnibus alijs anteponat, & primam appellet, alibi vero poſt incorpoream eam eſſe dicat. Cap. 10.

Seleucus.

SEd qua de cauſa ſenſibilem ſubſtantiam hic primam,alibi ſecundam appellat,quaſi ſub in corporea collocata ſit? Dexip. Quia de illis hic diſputare nõ propoſuit: quippe quæ in communi conſuetudine ſubſtantiæ non appellentur.

Quòd ipſe ſibi uideatur aduerſari cum in naturalibus diſputationibus communia & prima,hic ſingularia & particularia anteponat. Cap. 11.

Seleucus.

AD eandem quæſtionem quoq; ſpectare illud uidetur, cur in naturalibus diſputationibus communia ut prima,hic particularia primo loco conſtituat. Dexip. Huiuſce ordinis illud in cauſa eſt,q ipſe prius & poſterius duobus modis uocare conſueuit, & quantum ad naturam attinet,& quantum ad nos.Ad nos priora ſunt particularia, quæ primo nobis occurſu percipienda ſeſe offerunt. Ad naturam priora communia ſunt,propterea q particularia ſub uniuerſalibus collocantur.Vnde ſi quis a natura exordiri uelit,is ſimplicia,cauſas,ea quę per ſe ſunt, atque ex ſeſe ſubſiſtunt, uniuerſalia, impartibilia, atque huiuſmodi alia proculdubio anteponet. At ſi a ſignificatiuo reſpectu ad res progrediamur,ordo econtrario erit commutandus.

De communibus

De communibus aduerſus Alexandrum altercatio. Cap. 12.

Seleucus.

SEd quid ad eos dicemus, qui neq; natura priora uniuerſalia particularibus, ſed poſteriora eſſe contendunt? *Dexip.* Eos ſane ſi recte conſideremus, quæ in controuerſia ſunt, tanquam conceſſa ſumere inueniemus. Quando enim uniuerſalia ſingulis quibuſque natura eſſe priora dicuntur, & particularia contra poſteriora, ipſi uero particularia priora natura eſſe ſtatuunt: non recte illud quod in quæſtionem uenit, demonſtrationeque indiget, ſibi ipſi ſumunt. Leues etiam illæ argumentationes ſunt, cum dicunt: ſi commune eſt, indiuiduum quoque ſit, neceſſe eſt: quippe cum in communibus indiuidua quodam modo inſint. Si uero eſt indiuiduum, non continuo etiam commune erit: ſiquidem commune poſt multa eſt. Patet enim particulare cum in eo commune diſtributum ſit, eſſentiamque eius expleat, indiuiduum eſſe: quidam etenim homo, etiam homo eſt. Vnde ſublato communi non continuo etiam tolli indiuiduum falſum eſſe conſtat. Cum enim commune in eo eſſentiam ſuam habeat, ꝙ in omnia quæ ſub ipſo ſunt collocata, diffundatur, ac permeet: qui hanc ſuſtulerit, proculdubio etiam omnia illa ſuſtulit, quæ ſubſunt. Atq; ita quidem Alexandro et Boetho, alijſq; peripateticis, qui huiuſcemodi argumentis innitunt̃, reſpondendum eſt. demõſtrandumq; inſuper exponendo ea quæ in ſupranaturalibus inquit, cõmunia etiam in ſenſibilium conſideratione Ariſtotelem anteponere.

Quòd cauſa prius fuerit explicãda, qua ſecũdæ ſubſtantiæ dicerẽtur. Cap. 13.

Seleucus.

NOnnulli ſunt, quibus hic ordo non recte ſeruatus eſſe uideatur. Conſentaneum enim, ut inquiunt, erat, ut prius cauſa cur ſecundæ ſubſtantiæ ſecundæ eſſent, afferretur: deinde ita ſecundarum ſubſtantiarum inter ſe comparatio fieret. *Dexip.* Sed hoc anticipatum ſatis euidenter iam fuit, ubi ea quæ de ſubiecto dicuntur, diuiſit, eamq; eſſe proprie ac pręcipue ſubſtantiam demonſtrauit, quæ neq; de ſubiecto diceretur, neq; in ſubiecto eſſet. ex hoc enim neceſſario conſequitur, ut illæ ſecundæ ſubſtantię ſint, quæ & in ſubiecto non eſſent, & de ſubiecto dicerentur:

Quòd cum primam ſubſtantiam magis & minus eſſe non demonſtrarit, ſpecies magis & minus eſſe dicat. Cap. 14.

Seleucus.

PLotinus de ordine inſuper dubitat, prius demonſtrandum fuiſſe inquiẽs primam ſubſtantiam magis & minus ſubſtantiam non eſſe: deinde ad magis & minus quod in ſpecie & genere exiſtit, procedendum. *Dexip.* Ad hoc quoque eadem reſponſio afferenda eſt: ꝙ ſimili modo præoccupatum fuerit, primam ſubſtantiam non eſſe magis & minus, ubi eam eſſe primo, & maxime proprie ſubſtantiam aſſerit. Quippe cum hæc præfinitá omnia ſint: neque ꝙ magis aut minus ſint, infinitatem habere ullam queant. Nam magis & minus ſine ullo termino ſemper procedunt. Quod uero maxime eſt, excellentia: quod primo, principio: quod maxime proprie, præcipua naturæ proprietate terminatum eſt.

Si nulla ſubſtantia eſt magis & minus, quo modo ſpecies magis ſubſtantia quàm genus dicatur. Cap. 15.

Seleucus.

SI uero nulla ſubſtantia magis & minus eſt: quo pacto ſpecies magis ſubſtantia ꝙ genus dicitur? *Dexip.* Quia non in eo ꝙ ſunt ſubſtantiæ, magis & minus admittunt, ſed in eo ꝙ a ſenſu uel magis uel minus recedunt.

Quòd ſi cauſam ſenſibilis ſubſtantiæ ſumat, minus ſubſtantiã ſumat. Cap. 16.

Seleucus.

AT ſi cauſam ſenſibilis ſubſtantię ſumit, ſenſibilia enim fiunt: et non ſunt: cum id non dicat, abſurde diſputationem de ijs quæ prima natura ſunt, introducit. Nos uero nunc non ea quæ natura prima ſunt, quærimus, ſed ea quæ prima noſtri ratione ſunt. *Dexip.* Sed ea

etiam quæ in eo ꝙ dicuntur, ſunt prima, ſpecies ſunt. ſpeciebuſque prius appellimus, deinde generibus: & prius ſpecies, deinde genera ſignificamus; ut merito magis ſubſtantiæ ſpecies ꝙ̄ genera dicantur.

Quòd generalem ſubſtantiam non diffinierit. Cap 17.

Seleucus.

CVm uero ſecundas ſubſtantias genera & ſpecies primarum ſubſtantiarum eſſe dixerit: quaſi ſectionem generis in ſpecies fecit, ut commune genus ſit ſubſtantia, ſpecies uero & indiuidua ſubſtantia & ſecunda ſint. Quod ſi ita eſt, ubinam generalem ſubſtantiam diffiniuit? *Dexip.* Cum primam ſubſtantiam ita deſcripſerit, ut eam eſſe diceret, quæ neq; de ſubiecto diceretur, neq; eſſet in ſubiecto, ſecundam uero, quæ in ſubiecto non eſſet, & de ſubiecto diceretur: commune illud ab utriſque ſumit, ꝙ in ſubiecto non ſit. Vnde ſi primæ proprium eſt, ut de ſubiecto non dicatur: communis erit, in ſubiecto non eſſe. atq; ita neq; ipſa erit prætermiſſa.

Quòd ſubſtantias non diuiſerit. Cap. 18.

Seleucus.

ATenim ſi diuiſio proprie generis in ſpecies eſt: prima uero ſubſtātia nō eſt ſpecies, propterea ꝙ ipſa una & unum numero, ſpecies autem multa numero eſt: quo pacto hæc ſubſtantiæ eſſe diuiſio poteſt? *Dexip.* Ad hoc dicendum eſt, eam eſſe communem omnis primæ ſubſtantiæ rationem, ꝙ una numero ſit: quippe quod maxime ſubſtantiæ proprium ſit: commune item illud, ꝙ neq; ſit in ſubiecto, neque dicatur de ſubiecto. Quidam igitur homo, aut quidam equus ſpecies quidem non eſt: ſed quatenus tamen prima huiuſmodi omnis ſubſtātia eſt, eſſe ſpecies poteſt.

Quòd cum inquit, manifeſtum eſt ex dictis, non perſpicuum ſit de quibus dictis intelligatur. Cap. 19.

Seleucus.

CVm inquit, manifeſtum eſt ex dictis, neceſſe eſſe ut ea quæ dicuntur de ſubiecto, & iuxta nomen, & iuxta rationem prædicentur: nihil ſuperius dictis uidetur demonſtraſſe. Ex iis enim quę de ſubſtātia dixit, nihil huiuſmodi declaratur. Primas ſiquidem ſubſtantias eſſe indiuiduas: ſecundas eſſe ipſarum ſpecies, & ſpecierum harum genera, ſupra expoſuit. id quod ad manifeſtandum, ꝙ & ratio & nomen de ſubiecto prædicetur, nihil facit. *Dexip.* Qui hæc reprehendunt, ſine cauſa proculdubio mouētur: cum ex illis huiuſce rei perſpicuitas petatur, quę paulo ſuperius in hunc modum inquit: Cum alterum de altero prędicatur, ut de ſubiecto, quæcunque dicuntur de eo quod prædicatur, eadem etiam de ſubiecto dicentur. Ex his enim manifeſte ſequitur, ut quod de ſubiecto prædicatur, & nomine, & ratione uerificari de eodem debeat.

Quòd vtilis de differentiis conſideratio ſit. Cap. 20.

Seleucus.

QVoniam de differentiis inquit, quod cōmune illud cum ſubſtantia habeant, ꝙ in ſubiecto non ſint: unde non eſſe id ſubſtantiæ proprium confirmat: prius ad quænam utilis de differentiis conſideratio ſit, explicandum uidetur. *Dexip* Illud quidem quod natura idoneum ad ſeparanda ea eſt quę ſunt ſub eodem genere, eſſe differentiam conſtat. atq; ex huiuſmodi diſtinctione quantum ad genus ſpectat, ipſius diuiſio intelligitur. Magis proprie tamen de ea quiſpiam diceret, ſi ſpeciei differētiam eſſe coniungendā aſſeueraret. Vnde etiam pro ſpecie ſæpenumero ſumi conſueuerunt. Vniuerſæ enim differentiæ de genere dici ſimul poſſunt. Vnaquæq; uero per ſe ſumpta de iis quidem quæ ſub ipſa ſunt, de quibus dicitur, de omni prædicari poteſt: de genere tamen non poteſt: quippe cum ſingulæ generis formatrices minime ſint. Diſtat autem a ſpecie differentia, ſicut pars a toto. eſt enim qualitas quæ ſubſtantiam rei complet. Atque ita fit, ut differentia neq; in ſubiecto ſit, quia iis ad eſſentiam confert, quæ in ſpeciem redigit: neq; ſit ſubſtantia, propterea ꝙ non ad eſſentiam, ſed ad talem eſſentiam confert. Cum autem tale dicimus, id non ita intelligi debet, ſicut cum de albo dici con-

futurit. album enim a ſubiecto ſeparari poteſt: differentia non poteſt, niſi ſimul cum ſubiecto etiam intereat. Quod ſi quis dicat ſubſtantiale ſeu eſſentiale etiam accidens abſq; corruptione non ſeparari, ei perfecta & præcipua diſtantia eſſentialis accidentis, & differentiæ afferenda eſt: q; circa eſſentiale accidens intentio & remiſſio conſideretur: ut in æthiope, ſi in alia loca translatus fuerit, remitti niger color poteſt: in lacte item minor albedo, & in niue maior interdum efficitur: in differētia autem magis & minus ſpectari non ualeat. magis enim bipes bipede, aut pedeſtre pedeſtri, aut minus eſſe quicpiam nequit.

Dubitatio de differentia vbi ſtatuenda ſit. Cap. 21

Seleucus.

SEd ſi neq; ſubſtantia eſt differētia, neq; accidēs, & qđ diuerſum a ſubſtātia & accidēte ſit, tertiū eſt nihil: qppe cū omnia entia aut de ſubiecto dicant, aut ſint in ſubiecto: cū uel ſubſtantię uel accidentia ſint: ubinam differētiam conſtituemus? *Dexip.* Multæ huiuſce rei ſolutiones ſunt, quas paulo poſt ſubiungemus. prius enim quædā quaſi auctoramēta & propoſita ſtatuenda mihi uidenī, ex q̃bus & quæſtione hanc & eius ſolutionē poſſimus diiudicare. Iis igitur qui rerum inueſtigationis peritia callent, abſtruſus quidam eſſe atq; arcanus naturæ ab uno genere in aliud genus tranſitus uidetur: cum medium quod intercedit, identidem nos lateat. cuiuſmodi in ſubſtantijs eſt, quod poteſtate exiſtit. exempli cauſa in hominibus, aut alijs animalibus, cum adhuc in ſemine conſiderantur, nondum neq; ſubſtantia ineſt, cum imperfectum adhuc quoddam ſit: neque actus, quæ perfectio ipſa rei eſt. Reſtat igitur, ut aliud quoddam in ſubſtantijs reperiatur, quod inter eum qui actu homo eſt, & qui eſt poteſtate, medium interiectum ſit. Eadem de differētia ratio eſt. nam etiam ipſa inter qualitatem & ſubſtantiam media exiſtit. Vnde etiam ad id rei cōfert ut ſit, & ut talis ſit. ac propterea in ſubiecto non eſt. Iccirco definitioni eius quod eſt in ſubiecto, illud uidetur addendum, q; ad ſubiecti eſſentiam nihil conducat. ſpecies enim & differentia proculdubio conducunt. Atq; hęc quidem ea ſunt, quę prius eſſe ſtatuenda iudicauimus. Nunc ad ueterū philoſophorum ſolutiones deueniamus. Vna opinio eorum eſt qui differētiam qualitatem eſſe ſtatuunt, ac qualitatem quidem eſſentialem, quæq; rei eſſentiam compleat. Altera eorum qui differentiam mediam inter qualitatem & ſubſtantiam collocandam eſſe putent: quæ & ſubſtantijs ad eſſentialia accidentia, & accidentibus ad ſubſtantias communem quendam nexum præbeat. Nam cum natura a contrarijs ad contraria, utputa ab animalibus ad plantas non ſtatim tranſeat, ſed paulatim uita eius prius interiecta quod plantanimal, hoc eſt ζωόφυτον dicitur: quæ utraq; illa extrema inter ſe cogat, & colliget: ita quoq; hic diuerſorum generum ſubſtantię & accidentis medium quoddam ſtatuendum eſt: quod ex quorundam ſententia utrorumque ſit particeps: ex quorundam, ab utriſq; diuerſum ac ſeparatum. Tertia eſt opinio aſſerentium differentiam non ſolum eiuſmodi eſſe ut eſſentiam expleat, ſed partem quoque eius eſſe. ſiue quia ex eo q; una cum ſubiecto comprehenditur, pars eſſe ſubſtantiæ conſideretur, que circa ſpeciem eſt: ſiue quia ſimul cum ſubiecti conſiderationibus etiam ipſa immutetur, utpote quę erga ipſum quodam modo ſeſe habeat, & diuerſe efficiatur.

Dubitatio quòd differentiæ de ſubiecto non dicantur. Cap. 22.

Seleucus.

DIfferētiam autem de ſubiecto prædicari nullo modo eſſe uerum uidetur: quippe cum neque nomen, neque ratio differentiæ dici de ſubiecto poſſit. Id quod perſpicuum inde eſt: Nam cum pedeſtre duo ſignificet, unum ipſum pedibus incedendi habitum: alterum id quod habitu eo prȩditum eſt: hoc quod habitum habet, proculdubio differentia non eſt, ſed res quę a differentia ita eſt affecta. Quocirca omiſſo eo quod nō eſt differentia, id eſt pedeſtre, ipſam differentiam ſumamus, quæ ſi ita dicere liceat, pedeſtritas eſt. Nunquid igitur fieri ullo modo poteſt, ut uel nomen, uel ratio differentiæ de ſubiecto prædicetur: ut ſubiectum uel pedeſtritatem, uel habitum eum eſſe dicamus, ex quo pedeſtres reddantur, qui participes eius fuerint? Non ſane. Non recte igitur dictum eſt, & nomen & rationem differentię dici de ſubiecto. Neque igitur uniuoce dicetur. Vnde neq; de ſubiecto: ſiquidem ea quę dicuntur de ſubiecto, uniuoce de omnibus quæ ſub ipſis ſunt, prædicantur. *Dexip.* Ad hoc ita occurrere poſſemus. Neq; enim, quod illi uolunt, concedendum omnino eſt, ut pedeſtritas ipſa differētia ſit, q̃ iod

uero ipſius eſt particeps, non ſit. Cogitatione enim & mente pedeſtritatem ſeparantes, quod cum ſubiecto comprehenditur, eſſe differẽtiam negant. Sed aliud eſt cogitatione a re aliquid ſeparare, & aliud tanq̃ cum ſubiecto coniũctum quicpiam ſumere. Quocirca quoniam etiam Ariſtoteles de diffinitiua ratione hic loquẽs, cum differentias uniuoce prędicari inquit, de differentijs una cum materia ſumptis intellexit: nos quoq; ad eundem modum accipere idem debemus. Pedeſtre enim pedeſtritatem etiam habet, at pedeſtritas cum cogitatione tantum exiſtat, pedeſtre in ſe non continet. Ratio igitur diffinitiua, & ſubiectę ſpeciei diſtinguendæ inter ſe nõ ſunt. Nam ſi diffinitiua ratio, quid ſit eſſe rei, explicat, eſſentia autẽ rei nihil aliud ꝙ ſpecies eſt: non alia erit ratio q̃tum ad ſubiectum, neq; alia quantum ad diffinitionem ſpectat. Abſurdum enim eſſet, ſi in eſſentia rei eſſet aliquid, nomen uero & ratio de ſubiecto dici uere non poſſet. Atq; ita quidã nos reſpondendum ducimus. Altera tamen neq; ea aſpernanda ſolutio eſt Quia enim differentia eſt, quæ maxime facit ſpeciem, rationem eius de ſubiecto uerificari ex eo dixit, ꝙ ſubiecti ratio a differentia expletur. De ſubiecto igitur dicitur, etiã ut ipſi uolunt, quia rationis ſubiecti expletiua ipſa eſt. Nam ſi pedeſtritatem dixero, motionem in terra cruribus factam intelligo. at motio in terra cruribus facta, & pedeſtre, et id quod ita mouetur, etiam declarat. Miror autem Stoicos, ꝙ habitus a ſubiectis ſeiũgant, ac ſeparent. Cum enim incorporea illi per ſe non admittant, quando contendendum ipſis eſt, in huiuſcemodi prehenſiones confugiunt. Si enim qualitates abſq; ijs quæ qualia ſint, non exiſtunt: neque habitus ſine ijs quę habitu ſunt prædita, neque differentiæ abſq; ſubiecto conſiderabunt: ſed ſua diffinitiua ratione ſubiecta perficient, ac complebunt.

Quo modo cum dixerit, omni ſubſtantiæ videtur ineſſe hoc quiddam dici, deinceps ſubiungat, non tamen verum hoc eſt. Cap. 23.

Seleucus.

SEd quo pacto ita ſtatim ſententiam mutauit? Cum enim dixerit, omni ſubſtantiæ ineſſe illud uideri, ut hoc quiddam dicatur, ſubiungit deinceps, non tamen uerum hoc eſt. *Dexip.* Propterea ꝙ primum illud non ex opinione ſua expoſitum eſt, ſed quorundam, qui & genera & ſpecies ſubſiſtere aſſerunt: ſecundum uero eſt, quod ipſi placet. Iccirco cum prius ea poſuerit, quæ ab alijs dicuntur: poſtea quod ipſe approbat, ſubiungit. *Seleu.* Sed quo modo fit, ut quendam hominem, & hominem, & animal, & rationale, & mortale eſſe dicamus, ſi hoc quiddam omnia hæc non ſignificant? *Dexip.* Quia uidelicet ſpẽs diſtributas, & in indiuiduis contentas hoc quiddam eſſe dicimus. Hic autem de ijs ſermo eſt, quæ per ſe conſiderantur. *Seleu.* At ſubſtantia ipſa indiuidua quo pacto hoc quiddã eſſe dicenda eſt? nunquid quantum ad formam attinet, an quantum ad materiam, an ad id quod ex utriſq; compoſitum eſt? *Dexip.* Quantum ad omnia quidem ſpectat: ſed quantum ad materiam attinet in eo, ꝙ ſubiacet, & in admittẽdæ formæ actum procedit: quantum ad formam, in eo ꝙ definita eſt: quantum ad utrunq;, in eo ꝙ unum iam numero eſt. Nam ſi quis indefinitam eſſe materiam dicat, ac propterea ipſum hoc quiddam eſſe nullo modo poſſe: illud ſubijciẽdum eſt, nos non de materia abſolute hic loqui, quæ nullam ad aliud rationem habeat, ſed de ea quæ ad formam reſpicit.

Si nihil contrarium ſubſtantiæ eſt, quo pacto rationale animal irrationali contrarium ſit. Cap. 24.

Seleucus.

QVo pacto rationale animal irrationali contrarium non eſt? *Dexip.* Quia differentia quæ in aliquo eſt, alteri quæ ineſt, contraria quidem eſt: totum uero toti eſſe contrarium nullo modo poteſt. Quod enim contraria ſuſcipit, ipſum eſſe contrarium propterea nequit, quia ſi ab uno ex contrarijs occuparetur, idoneum eſſe ad ſuſceptionem alterius contrarij non poſſet. utputa anima, aut corpus, aut indiuidua ſubſtantia, aut ſecunda: ſi admiſerint contraria, ipſa per ſe contraria non ſunt. Adde ꝙ neq; ſi diuidatur quicpiam in contraria, ut animal, propterea contrarium erit. ſed ipſum eiuſmodi eſt, ut contrariorum diuiſionem complectatur. Quapropter nihil ex his contrariũ eſt. Id autem ex diffinitione etiam contrariorum perſpicere unuſquiſq; poteſt. contraria enim ea eſſe diffinimus, quæ plurimum a ſe mutuo ſeparata ſunt. Ad hæc de quibus nunc loquimur, circa eandẽ ſubſtantiã, quę animal eſt, exiſtit.

Si nihil ſubſtantiæ contrarium eſt, quo modo ignem aquæ, & alia elementa contraria appellet Ariſtoteles. Cap. 25.

Seleucus.

AT quo pacto ignem aquæ, & aerem terræ contrarium eſſe inquit Ariſtoteles? Dexip. Quantum uidelicet ad ſpecierum effectrices differētias ſpectat, quæ ſubſtantiæ non ſunt. Calidum.n.& frigidum, humidum & ſiccum contraria inter ſe ſunt. totæ uero ſubſtantiæ totis ſubſtantijs contrarietatem nullam habent: quippe quæ in eadem etiam materia ſubſiſtant.

Quòd homo equo, vel aliquis homo alicui equo eſſe contrarius poſsit. Cap. 26.

Seleucus.

SI uero hominem equo, aut quendam hominem cuidam equo contrarium eſſe quiſpiam diceret, quo pacto reſpondēdum ei eſſet? Dexip. Nihilo magis uidelicet aliquem equum aut aliquem bouem, ꝙ quicpiam aliud ex primis ſubſtantijs alicui homini eſſe contrarium. ꝙ ſi fieri non poteſt, ut indefinitorum ad definita contrarietas ſit: neceſſario enim unum uni eſſe contrarium, præfinitum eſſe debet: non recte ita ſumendæ contrarietates ſunt.

Quo pacto formam priuationi, & materiam formæ eſſe contrariam in diſputationibus naturalibus dicat, ſi nihil contrarium ſubſtantiæ eſt. Cap. 27.

Seleucus.

AT uero ſi formam priuationi in naturalibus diſputationibus eſſe contrariam inquit, quo modo uerum eſt quod nunc aſſerit, nihil ſubſtantiæ eſſe cōtrarium? Dexip. Quia contraria interdum communius ſolet appellare ea quoq; quæ per priuationem opponuntur. Vnde quando in naturalibus habitum & priuationem contraria eſſe dicit, turbari propterea nihil debemus, ꝙ cum in prædicamentis ſubſtantiam ſubſtantiæ non eſſe contrariam aſſeruerit, illic eius inter ſe contrarietatem admittere uideatur. nomine enim cōtrarietatis pro alijs etiam oppoſitionibus utitur. Atq; hæc quidem ſolutio contemnenda non eſt. ſed illa tamen ut mihi quidem uidetur, melior eſt, & Ariſtotelicæ doctrinæ accommodatior: ſi dicamus, formam priuationi, non ut ſubſtantiam ſubſtantiæ, ſed ut ens non enti, & principium ultimo, & bonum malo opponi: ita ut ex maxima diſtantia, uel ſubtractione perfecta ineſſe contrarietas poſſit. Nam ſi hoc modo diſtinxerimus, nulla in ſubſtantia contrarietas conſpicietur: ſed alia tamen in principijs contrarietatis diffinitio apparebit, quippe quæ ſub eodē genere minime ſit. Nam neq; utraq; contraria in eſſentia continet: neq; genera utraq; exhibet. ſed alterum in eo quod eſt, alterum in eo quod non eſt, conſiſtit.

Quòd nihil ſubſtantiæ eſſe contrarium, in particularibus demonſtratum ſit, non in vniuerſalibus. Cap. 28.

Seleucus.

NIhil quidem ſubſtantiæ eſſe contrarium, ex inductione in particularibus fuit demonſtratum: ſubſtantiæ autem in uniuerſum non reperiri contrarium demonſtratum non eſt. Dexip. Qui hoc in dubitationem uocat, is diuidendi methodum, eiuſq; uſum uidetur ignorare. Nam cum de generaliſſimis ex prioribus & cauſis demōſtrationes facere non poſſimus, neceſſe eſt, ut in his diuiſionibus integris omnia quæ ſub ipſis ſunt, diſtinguamus, atq; ita ipſorum communitatem exploremus. Quemadmodum exempli cauſa cum animal diuidimus in rationale & irrationale: in pedatum & depes: in bipes, & quadrupes: & quęcunq; alia demum ſunt, quæ cadere in eius diuiſionem poſſunt: Tum nihil ex his extra animalis naturam egredi deprehendentes generis communitatem non ex inductione, ſed ex perfecta diuiſione colligimus. Sicut igitur in alijs fit, ut diuiſio communitatem in ijs quę ſub ipſis ſecantur, conſeruet: ita in ſubſtantijs quoq; nunc demonſtratur. Si enim ſubſtantiæ omnes in primas & ſecundas ita fuerunt diuiſæ, ut nihil ex ipſis fuerit prætermiſſum: & neutrę habere contrarietatem conſpiciuntur: quippe cum diuiſio perfecta cum ſit, omnia quæ ſunt ſub ſubſtantia, fuerit complexa: efficitur, ut neq; alicui, neq; omni abſolute ſubſtantiæ contrarium quicpiam ſit. Veruntam

men dubitationi huic illo etiã modo occurri poteſt: ut quando aliquid ſumptũ fuerit, quod eſſentiam expleat: id ſi in ſingulis uerum ſit, continuo etiam in omnibus eſſe uerum aſſeramus. ut rationale tam de unoquoque, q̃ de omni homine dici uere poteſt. Sic ſi ſubſtantiæ illud eſſentiali modo ineſt, ut contrarietatem nullam habeat; id non de aliqua, ſed de omni etiam ſubſtantia uerum eſſe reperietur.

Quo pacto cum dixerit prius ſpeciem magis ſubſtantiam eſſe, q̃ genus, hic non admittere magis & minus ſubſtantiam dicat. Cap. 29.

Seleucus.

ILlud præterea dubitatione quoq; dignum incidit: quo pacto cum ſuperius ſecundas ſubſtantias alteram altera magis & minus ſubſtantias eſſe dixerit, nunc idem negare uideat. Dexip. Quia quod illic, & hic dicit, non uno modo eſſe intelligendum cẽſet. Hic enim ex ſe, illic ex accidenti magis & minus conſiderat. Non enim ſpecies magis q̃ genus ſubſtantia eſt, quatenus eſt ſubſtantia: ſed quatenus ad indiuiduam ſubſtantiam uicinius accedit. & genus item in eo eſſe minus dicitur, q ab eadem abeſt longius. id quod proculdubio accidens eſt. Hic uero in eo quod unumquodque eſt, magis & minus dici eam negat. Hæc igitur ſuperius dictis minime aduerſantur.

Quòd qui magis eſt rationalis, magis homo ſit. Cap. 30.

Seleucus.

ILlud quoq; inquirendum uidetur, quo pacto qui magis rationalis eſt, magis homo quoque eſſe cenſeri non debeat? Dexip. Quia non ex eo homo eſſentiam ſuam habet, q ſit magis rationalis, ſed ex ſpecie. quæ ſemper eadem manet. Operatio autem quę ex magis rationali proficiſcitur, rationaliorem hominem reddit non in eo quod ad humanitatem ſpectat. Nam quantum attinet ad humanitatem, & ad id q poteſt eſſe rationalis, ſimili modo eſſentia omnibus eſt. Erunt igitur ſimili modo omnes homines: ſed operatio tamen rationalis magis & minus admittet. Atq; hæc ſolutio quidem ſatis placet. ſed ſi ex Ariſtotelis ſententia profundius ipſam uelimus elicere, quæſtionem hanc ſubtilius in hunc modum poterimus explicare. Natura enim comparatum eſt, ut cum unaquaq; ſpecie & forma qualitas etiam quædam exiſtat: quæ diuerſa a ſpecie cum ſit, ſemper tamen ipſi annexa inhæret. Ac ſpecies quidem & forma pars compoſitæ & indiuiduæ ſubſtantiæ eſt, eamq; explet: atq; iccirco magis & minus admittere nullo modo poteſt. At qualitates quæ formis his eſſentialibus inhærent, quæ ſunt alicubi rationalitas, alicubi caliditas, alicubi ſiccitas, nihil obſtat, quominus admittant, ut uel magis uel minus dicatur. Atq; ita fit, ut exceſſus hic qui uidetur eſſe ſpeciei, qualitatis ſit. Nam cum etiam uirtute præditus uir magis homo dicitur, non quatenus eſt homo, dici conſueuit, ſed quatenus ea animi affectio in ipſo augetur: quæ proculdubio non ſubſtantia, ſed qualitas eſt. Quapropter ſubſtantiam alteram altera magis uel minus ſubſtãtiam non eſſe, pſpicuum eſt.

Quo modo materia magis & minus dicatur. Cap. 31.

Seleucus.

SEd quo modo fit, ut materia magis & minus dicatur: ut cõtraria in ipſa conſiderentur, paruum & magnum, exceſſus & defectus: & quicquid polliceatur, falſum ſit: ſi magnũ, id paruum ſit, ſi magis, id minus eſſe conſpiciatur? Dexip. Omnia hæc in materiam cadere ex ratione quam ad formam habet, cenſendum eſt. Omnes enim huiuſmodi uiciſſitudines ex eo acquirit materia, q ad ſpeciem & formam reſpicit: ad quam diuerſo modo ſeſe habet. Nam ſi magis in materiam inualeſcat forma, expreſſior, ſi minus, obſcurior & exilior etiam ipſa apparet. Ipſa

paret. Ipſa uero materia, ſi per ſe conſideretur, nullo modo differt: cum omnia poteſtate ſit: & parem ad omnia entia ſuſceptionem præ ſe ferat.

Quid in cauſa ſit, quòd ſubſtantia magis & minus non admittat, qualitates vero admittant. Cap. 32.

Seleucus.

AT uero hoc ipſum quoq; dubitationem affert, cur cum ſubſtantię magis & minus non admittant, qualitates admittant? Dexip. Hoc ſolui eadem ratione poteſt: ſi ſubſtantias eo ꝙ in ſeipſis ſunt, ſemper in eodem termino perſiſtere: qualitates autem eo ꝙ in alijs eſſentiam ſuam habent, cum illis ſimul alterari ac commutari aſſeramus. Merito igitur fit, ut ſubſtantiæ neq; ex ſeſe, neq; ex alijs incrementum aut decrementum ullum queant admittere: qualitates uero ex ſubiectis in quibus inſunt, magis & minus intendantur.

Cur adiunxerit /videtur/ dum proprium ſubſtantiæ aſsignat. Cap. 33.

Seleucus.

MVlti ſunt qui ipſum accuſent, ꝙ non aſſerendo, ſed quaſi ambigendo proprium ſubſtantiæ aſſignarit: cum inquit, maxime autem eſſe eius proprium uidetur, ꝙ idem & unum numero cum ſit, contrariorum ſit capax. Dexip. Sed dicendum ad hoc eſt: cum proprium multis modis dicatur, & præcipuum illud ſit, quod ſoli & omni ineſt, nunc uerbum /uidetur/ Ariſtotelem adiūxiſſe, ut hoc & uniuerſalis & primę ſubſtantię non poſſe eſſe propriū oſtendat: quod tamen eiuſmodi ſit, ut in nullo alio prędicamento reperiri queat. Ita enim ignis quoque tenuiſſimarum partium eſſe dicitur, non ꝙ omnis ignis eodem modo ſit tenuiſſimus, ſed quia in igne tenuiſſimum reperitur. Hic quoq; propterea ꝙ ſi quid eſt indiuiduum contrariorum capax, id continuo in ſubſtantia eſt: iccirco hoc uidetur etiam ſubſtantiæ abſolute proprium eſſe, ꝙ ſuſceptrix contrariorum ſit. Id quod ex reciprocatione ipſa cognoſci apertius poteſt. Si quid enim eſt ſubſtantia, opus eſt ut in ipſa indiuiduū reperiatur, quod unum & idem cum ſit, admittere contraria uiciſſim poſſit. Si quid cōtra eſt, quod unum & idem cum ſit, contrariorum eſt capax, id ſubſtantia continuo eſt. Ita igitur erit proprium, ut in nullo alio prædicamento, niſi in ſola ſubſtantia, atq; ea indiuidua tantum dicatur.

Cur adiunxerit vnum numero, dum proprium ſubſtantiæ exponit. Cap. 34.

Seleucus.

NEque uero in eo dubitandum eſt, ꝙ cum unum numero adiunxerit, ſolorum indiuiduorum hoc proprium aſſignarit? neq; enim generi, aut ſpeciei ineſſe hoc proprium poteſt. Dexip. Sed huiuſce dubitationis non difficilis explicatio eſt. Vnus enim cognitionis modus eſt, qui ex parte totum ſignificat. Vnde hic quoque ſi indiuidui proprium hoc eſt, nihil repugnat, quin generis etiam eſſe idem poſſit. quia enim ob indiuiduam ſubſtantiam, & eo ꝙ in ipſa ſunt ſecundæ ſubſtantiæ, contraria dicuntur admittere, proprium ipſarum ita diffiniuit: ut oſtenderet ſe non abſolute hominis qui cogitatione concipitur, neq; communis & per ſe intellecti animalis proprium nunc aſſignare, ſed eius quod diſtributum eſt, & exiſtit, & in indiuiduo ineſt. Homo enim qui in particularibus conſideratur, & animal quod diſtributum in ipſis eſt, proprium hoc ſine dubio admittit.

Cum volumus confirmare omni ſubſtantiæ ineſſe, quòd contrariorum per vices ſuſceptrix ſit, non aduertimus deterius aliud nos probare, quòd non ſoli ipſi hoc inſit. Cap. 35.

Seleucus.

AT ſi ex confirmationibus his ſumpta occaſione quiſpiam nobis aliud deterius obijciat, ac non eſſe ſolius ſubſtantiæ proprium hoc dicat, eo ꝙ habitus quoq; & diſpoſitiones capaces contrariorum ſint: quid reſpondere huic poterimus? Habitus.n.& diſpoſitio & actio bona & mala: motio item tarda & uelox dicitur. Non ſolis igitur ſubſtantijs, ſed multis etiam alijs ineſt, ut admittere in ſe contraria ualeant. *Dexip.* Ex ijs quæ iam dicta ſunt, ita obijcientibus occurrendum eſt. Non enim ſpecies & genera ſubſtantiarum ipſa per ſeſe, quatenus ſunt genera & ſpecies indiuiduorum, conſiderantes contraria ſuſcipere uiciſſim dicimus: ſed quatenus in indiuiduis conſiderantur, & in ipſis inſunt. Alio igitur modo in ſubſtantijs ſpectatur, ꝙ per uices cõtrariorum ſint ſuſceptrices, & alio in motione, & actione, & diſpoſitione & huiuſmodi cæteris. Subſtantia enim una & eadem cum permaneat, utputa Socrates, per uices contraria admittit: quare ſpecies quoq;, id eſt homo, & genus, hoc eſt animal, quæ in ipſo conſiderantur, uiciſſim contraria etiam ipſa ſuſcipient: proptere a ꝙ Socrates & homo & animal eſt. At in alijs non ita euenit. Nam hęc actio, exempli cauſa Ariſtidis honeſta eſt: illa puta Euribatæ praua. Simili modo quoq; habitus ex quo actio profecta eſt, alter bonus, alter prauus. Aliæ igitur atq; aliæ effectæ actiones, & item habitus honeſtatem & prauitatem ſuſcipiunt, dum ſimul cum uno ex contrarijs mutationem in ſe admittunt. Quemadmodum enim uerbi cauſa, ſi quatuor id amiſerint, ut q̃tuor ſint, eſſe paria non amplius poterunt: ita actio quoq; honeſta puta Ariſtidis, ſi honeſtate & iuſtitia priuetur, neq; actio amplius eſſe Ariſtidis dicetur. Eurybatæ item actio ſi non amplius illud in ſe habeat, ut ſit praua, neq; Eurybatæ actio amplius dicetur. Nam ſi honeſta Ariſtidis actio, praua etiam fieri poſſet: amiſſa honeſtate permanere eadem actio Ariſtidis poſſet. Quoniam igitur actio ſi detrahatur ꝙ ſit honeſta, nõ amplius neper ſe quidem actio nominatur: bonam actionem proculdubio ſoli bono, & prauam item ſoli malo coniunctam habere eſſentiam ſuam conſtat. Subſtantiæ uero cum in ipſis contraria uiciſſim immutentur, ipſæ eædem permanent.

Quod pater contrarium admittat, cum non ſit ſubſtantia. Cap. 36.

Seleucus.

SEd quo modo pater interdum ſanus eſt, interdum ægrotat? *Dexip.* Quia uidelicet homo eſt. Nam quatenus eſt pater, eiuſmodi prædicatio ex accidenti eſt. proprium uero ſubſtantiæ non ex accidenti, ſed ex ſeſe ineſt, neque ob aliud, q̃ ex eo ꝙ in ipſa mutatio contrarij exiſtat.

Aeternis ſubſtantijs proprium hoc non conuenire. Cap. 37.

Seleucus.

AT ſol cuiuſnam contrarij erit capax, cum in una ſpecie ſemper eodem modo perſtet? nihil enim naturę eius contrarium eſt. Quin etiam cœlum ipſum ſtare qui poterit? ſtatio.n. motioni eſt cõtraria. Adde ꝙ ignis quoq; q ex ijs eſt, quę corruptioni ſunt obnoxia, caliditatis capax cum ſit, frigiditatem nullo pacto admittit: & nix cum frigiditatis ſit particeps, caloris expers omnino eſt. *Dexip.* Ad hæc primum illud reſpondendum eſt: proprium hic omnis eius ſubſtantiæ aſſignari, quæ mutationibus ſit obnoxia: non quæ in eſſentia ſua formarum immutabilitatem obtineat. Deinde illud animaduertẽdum, ſubſtantiam hic ſuſceptricem eſſe contrariorum, non in contrarijs habere eſſentiam ſuam dici. Ignis uero caliditatem nõ admittit, ſed eam in ſua natura inſitam habet. nihil autem eſt quod ſeipſum ſuſcipiat: ſed externum aliquid eſt, quod admittitur. ut aqua caliditatem, quæ ipſi eſt aduentitia qualitas, admittere dicitur, humiditatem uero minime, proptereaq; inſita ipſi eſt. Sic terra humorẽ utpote externam qualitatem cum ſuſcipiat, ſiccitatem quæ in ſubſtantia ſua ineſt, minime admittit. Cœleſtia item corpora cum in circulari motione eſſentiam habeant, ſuſceptricia eſſe contrarietatis alicuius non

cuſus non poſſunt. Accedit, ꝙ ne qualitates quidem huiuſmodi proprietates ſunt, ſed eſſentiales differentiæ, quæ ſubſtantiam uniuſcuiuſq; explent. Vnde permanere nullo modo poſſet quicpiam, ſi ijs exturbaretur, quæ in ſubſtantia ipſi inſunt. Ea igitur contrariorũ ſuſceptricia dicenda ſunt, quibus non natura, & inſeparabili modo inſitum alterum eſt.

Si quemadmodum genera & ſpecies ipſa per ſe ipſa contrarium non admittunt, ita neque habitus & diſpoſitiones, ſed ſenſibilia quæ ſub ipſis ſunt: non erit hoc proprium ſubſtantiæ, vt contrariorum uicisſim ſit ſuſceptrix; quippe cum quod in generali habitu & diſpoſitione ſpectatur, idem in generalibus quoq; ſubſtantijs conſideretur: atq; ita commune etiam alijs erit, ꝙ contrariorum vicisſim ſint ſuſceptricia. Cap. 38.

Seleucus.

SEd ad aliud prædicamentum rurſus redeamus. Quẽadmodum genera & ſpecies quantum ad propriam ſubſiſtentiam attinet, ad ſuſcipienda contraria ſeipſis contenta non ſunt, ſed ſubiectis indiuiduis ſubſtantijs indigent: ſic neq; habitus, & diſpoſitiones, & motiones ex ſeipſis, ſed ex ſubiectis ſenſibilibus contrarietatẽ admittunt. *Dexip.* At ſubſtantię propterea ineſt, ut contraria ſuſcipiat, quia ubiq; omnibus ſubijcit: ita ut & circum ipſam & in ipſa omnia exiſtant: atq; iccirco contraria quoq; circum ipſam ſint, neceſſe eſt. Vt autem contrariorum capax ſit, nulli ex alijs ineſt. Accidentia enim ne ſibi quidem ad ſubſiſtendum ſunt ſatis: ſed alio fundamento ipſis eſt opus, cui eſſentia ipſorum innitatur. Ac nulli prorſus pręterea ſubiacent. Quæ uero non ſubiacent, quo pacto admittere contraria poterunt? Nam ſubiectum, hoc eſt corpus album & nigrum efficitur permanens corpus: at color non ita. Quin neq; cum ex albo nigrum fit, album eſt quod nigredinem admittat: ſed neq; amplius eſt. tantumq; abeſt, ut contrariam formam in ſe ſuſcipiat, ut altero ſuperueniente alterum excedat, atq; exturbetur. At animal & homo propterea ꝙ permanent, quatenus ſubſtantiæ in quodam homine ſunt, contraria admittunt. Color uero non admittit, quia non permanet. ſimul enim atq; album abit, color etiam cum ipſo recedit, neque amplius eſt. ſimul item ac introducitur nigredo, color cum ipſa ſuperuenit. Vel ſi hoc interdum ita non fit, nunquam tamen permanens color accedentia & recedentia admittit.

Plotini dubitatio, ꝙ eſſe contrariorum ſuſceptricem per vices, tanquam accidens ſubſtantiæ inſit. Cap. 39.

Seleucus.

RVrſus Plotinus accidens eſſe ſubſtantiæ inquit, ꝙ per uices contrariorum ſit ſuſceptrix. Vnde neq; quid ſit ſubſtantia, neq; quid ſemper ipſi proprie inſit, explicaſſe Ariſtotelem aſſerit: ſed illud tantum, quod ex accidenti ipſam conſequitur. *Dexip.* Ad hominem qui hanc dubitationem affert, dicendum eſt, eum cum de ſubſtantia hic intelligatur indiuidua & ſenſibili, cuius proprium eiuſmodi eſſe debet, quod eandem ſubſtantiæ formam omnibus prębeat: non aduertere, cum ea congeſta ac concinnata ſit, propria etiam eiuſmodi habere oportere, cuiuſmodi ipſa fuerit. Nam ipſe etiam Ariſtoteles nunc cum congeſtionem hanc materialis, & compoſitæ, & in generatione conſtitutæ ſubſtantiæ uelit ſignificare, ex mutatione in contraria eam aſſignauit. Compoſitæ enim ſubſtantiæ & in multitudine conſideratæ ita proprium contẽplatur, ut naturæ ipſius, & eiuſmodi ſubſtantiæ ſimul omnino inſit. Vnde ſi quandoq; id haberet ſubſtantia, ut contrariorum per uices eſſet capax, quandoq; non haberet: accidens hoc proculdubio dicendum eſſet. Quoniam uero poteſtate hoc ipſi ineſt, ut ad contraria ſubijciatur; eiuſmodiq; eſt compoſita ſubſtantia, ut omnium formarum ſit capax, & ex omni

bus quæ in materiam ueniunt concinnata ſit: merito fit, ut ad compoſitionem ipſius ſuſceptio contrariorum etiam accedat.

Plotini dubitatio, q. ſi quantum ad compoſitionem attinet, ſubſtantiam conſideremus, materia magis ſubſtantia eſſe inuenietur. Cap 40.

Seleucus.

SImili modo quoq; Plotinus dubitat, ſi ſenſibilis ſubſtantia neq; ſine magnitudine, neq; ſine qualitate eſt, quo pacto accidentia ab ipſa ſeparemus? exempli cauſa, cum ignis ſubſtantia dicatur, ſi ſiccum & calidum ab eo uelimus ſegregare, totum in ſubſtantia non amplius reſtabit, ſed pars ipſius quædam, quę materia eſt. Vnde effici aiebat, ut ſola materia ſubſtantia eſſe inueniretur. *Dexip.* Primum dici ad hoc poteſt, eam commixtionem & continuationem huiuſce ſubſtantię non aduertere: ſed diſtinguendo ea quę ipſi inſunt, per ſe conſiderare, cum per ſe ipſa ſubſiſtere ſeparatim nullo modo queant: ſed omnia in ſe et ſecum mutua connexione quomodocunq; exiſtant. Deinde ſiccitatem & caliditatem, quæ formæ expletiuæ differentiæ ſunt, quaſi ſeparabiles qualitates ſumit: neq; ſubſtantiæ quæ ad formam ſpectat, naturam conſiderat: neque primam compoſitæ ſubſtantiæ eſſentiam ex materia & forma exiſtere animaduertit, ſicut in naturalibus diſputationibus demonſtratur: ex ijs uero quæ inſunt ipſi, alia ut ſubſtantiales qualitates quæ ipſam complent, ſimulq; cum ipſa exiſtunt: alia ut ſeparabilia accidentia ineſſe. Hinc enim in eam opinionem uenit, ut materiam ex Ariſtotelis ſententia eſſe proprie ſubſtãtiam exiſtimaret. Id autem uerum non eſt. nam in libris de naturalibus formam eſſe maxime ſubſtantiã demonſtrauit. Adde q; neq; qualitates eſſentiales quæ cum ipſa exiſtunt, ſeparari ab ea poſſunt, ſed poteſtate ipſam coeſeruant: quippe cum ipſarum concurſus totum conſtituat. Manet igitur poteſtate materia, ſiue ſubſtantiales, ſiue ſeparabiles qualitates admiſerit. Quod autem neque ſine magnitudine, neq; ſine qualitate ſenſibilis ſubſtantia conſideretur, illud quidem recte dicitur, non habet tamen id adiunctum quod uerum eſt: q; etiam ſi formas cogitatione ſeparauerimus, materia tamẽ ipſa poteſtate remaneat ſub formarum concurſu imaginatione concepta. Vnde efficitur, ut ſi abſque formis materia eſſe nequit, magis proprie ſubſtantia ea ſit, quæ ad formam ſpectat.

Quòd non ſubſtantiæ tantummodo, ſed orationis quoque & opinionis proprium hoc ſit. Cap. 41.

Seleucus.

NVnquid uero oratio & opinio quia ab externis non afficiuntur, neque affici omnino dicenda ſunt? afficitur quidem oratio, & in ſe ueri & falſi mutationem admittit, quæ quidem orationis, & item opinionis cõtrarietas eſt. Alioqui enim neq; animam contrariorum eſſe capacem dicendum erit, quia album & nigrum non ſuſcipit. ut hæc enim queat admittere natura comparatum non eſt. ſed ea tamen, quę ad naturã ipſius ſpectant, ut prudentiam et imprudentiam, ut iuſtitiam & iniuſtitiam, & cętera huiuſmodi admittit. Quapropter propriam contrarietatem eſſe circa ipſam aſſerimus. Ita hic quoq; cenſendum uidetur, orationẽ & opinionem contraria admittere, cum ueri & falſi, non ſedendi & non ſedendi mutationem ſuſcipiat. Contrarietas igitur circa orationem & opinionem ex mutatione quæ ipſis conuenit, ſimili modo exiſtet. *Dexip.* Ad hæc ita occurrimus, ut dicamus non per ſe orationem uerum & falſum admittere: ſed cum index rerum ſit, ex eo q; eſt ad aliquid, nõ ex propria natura ueri & falſi capacem fieri. Ex eo enim q; uel cum rebus conſentit, uel a rebus diſſentit, uera uel falſa eſſe dicitur. Sicut igitur in ijs quæ ſunt ad aliquid, qui eſt dexter, nulla in ſe mutatione ſuſcepta ſiniſter euadit, ſi alter uidelicet fuerit tranſmutatus: ita hic quoq; non q; aliquo modo affecta, aut mutata ſit oratio uel opinio, ex uera falſa euadit: ſed ipſa immota perſiſtẽs ex rerum mutatione ſeſe habere alio atq; alio modo uidetur. Sed ſi quis etiam conceſſerit orationis quatenus eſt oratio, & opinionis quatenus eſt opinio, huiuſmodi mutationes eſſe: in eo tamẽ erit, q; uera

ꝙ ueræ uel falſæ efficiantur, non ꝙ ipſæ cum immotæ omnino permaneant, affectæ aliquo modo fuerint.

Plotini dubitatio, quòd quænam ſit ſubſtantia, non declaret hoc quod proprium eſſe eius dicitur. Cap. 42.

Seleucus.

SEd age, inquit Plotinus, ſi uis, ſolius ſubſtantiæ eſſe hoc proprium concedamus. Nunquid etiam quidnam ſit ſubſtantia, manifeſtabit? Cui enim rei innitetur mens noſtra, ut alia ſubſtantias, alia affectiones eſſe dicamus? Si enim ex eo dicemus, ꝙ hoc quiddam ſint, & in alio non ſint: genera & ſpecies id non habebunt: quippe cum ſpecies de indiuidua ſubſtantia, genus uero & de ſpecie & de indiuiduis dicatur. *Dexip.* Sed facilis huiuſce rei ſolutio eſt. Primum enim illud ignorandum non eſt, hæc non ita de alio dici, ſicut accidentia, quę in alio ſunt: ſed ſicut genera & ſpecies, quæ ſubiecti eſſentiam explent. Deinde quod ad hominem ſæpe dictum iam eſt, illud ſubiungimus: non oportere neque in corporibus ſubſtantiam incorpoream, neque unum per ſe ſeparatum in iis requirere, quæ admittere talia non poſſunt. Illud præterea ſciendum eſt, fieri non poſſe, ut ſupremorum generum exquiſitæ diffinitiones reddantur, quæ eſſentiam ipſorum totam perfecte comprehendant. Omnis enim doctrina quæ de ipſis fit, a poſterioribus ſumi conſueuit, commemorationi & deſcriptioni potius ſimilis. Non eſt igitur in diſputatione amplius exigendum, ꝗ̃ rerum ipſarum euidentia admittat. Quapropter ſatis quoque eſſe hic debet, ſi proprium eiuſmodi aſſignetur, ex quo an dictiones eſſentialem in modum prædicentur, cognoſcere ualeamus.

* *
*

SECVNDI LIBRI

FINIS.

* *
*

CAPITA TERTII LIBRI.

DE ORDINE prædicamentorum, ꝙ qualitas poſt ſubſtantiam collocanda eſſe uideatur. Cap. 1.
Plotini dubitatio, ſi continua eſt quãtitas, diſcreta non erit, et ecõtrario. Cap. 2.
Quod diſcreta prior continua ſit, & ideo utrorunque idem genus eſſe non poſſit. Cap. 3.
Quod numerus aliam per ſe eſſentiam habeat, & aliam ut quantitas. Cap. 4.
Vtrum in numeratis ſit numerus, an ſine ipſis metiatur: Plotini dubitatio Cap. 5.
Quod oratio ex accidenti ſit quantitas, per ſe uero aut in faciendo, aut in patiendo ſit, aut in utriſq;: Plotini dubitatio. Cap. 6.
Quod oratio quatenus in tempore dicitur, ratione temporis quantitas ſit: Plotini dubitatio. Cap. 7.
Non ſatis eſſe, ad id ut aliquid ſit quantitas, ꝙ men ſuretur: Plotini dubitatio. Cap. 8.

DEXIPPI PHILOSOPHI PLATONICI IN ARISTOTELIS PRÆDICAMENTA QVÆSTIONVM LIBER TERTIVS.

Dexippus.

AC QVAESTIONES quidem de ſubſtantia amicorum meorum optime Seleuce, excuſſæ iam in hunc modum a nobis ſunt. Viſne igitur, ut hucuſq; conſiſtamus? an rurſus ad quantitatis naturam indagandam tranſeundum ducis? *Seleu.* Sed neq; alteri ulli ex philoſophis, neq; tibi præcipue conuenit, ut imperfectam hanc tractationem relinquas. Heſiodus quidem ſane etiam pulchra ædificia ad finem uſq; perducenda, atque abſoluenda eſſe cenſet, ne qua ipſis clamans, ut inquit, inſiſtat garrula cornix. Nos uero ſi ad calcem operis non peruenerimus, ne quis nos ignauiæ merito accuſet, non timebimus? immo uero alũnos ſpei eſſe neget, quam dulcem eſſe, & cordi creſcenti conſentire uult Pindarus? Sed hæc miſſa faciamus. de ordine autem prædicamentorum inter nos iam diſſeramus.

De ordine prædicamentorum, quòd qualitas poſt ſubſtantiam collocanda eſſe videatur. Cap. 1.

PRimum igitur opus eſt, ut cauſam afferas, cur quantitas ſecundo loco poſt ſubſtantiam conſtituatur. Plotinus enim euidentiſſima ut ſibi uidetur, indicia profert de qualitate, quod propius ad ſubſtantiam accedat, ratiocinando in hunc modum progrediens. Subſtantiam, inquit, maxime proprie ex Ariſtotelis ſententia formam eſſe ſtatuimus. Illud igitur quod maiorem cum forma cognationem habebit, prius illis eſſe cenſebitur, quæ longius diſtant. Sed primo a forma eiuſmodi qualitatem exiſtere, qualis ipſa forma fuerit, conceſſum eſt. Quapropter ſi qualitas præcipuæ ſubſtantiæ quæ eſt in forma, coniuncta eſt, merito ſecundum poſt ſubſtantiam obtinere locum debet. Adde quod qualitas impartibilis eſt, & indiuiſibilis: indiuiſibiliter enim corporibus aduenit, licet ex accidenti poſtea propterea diuidatur, quia quod qualitatis eſt particeps, quale eſt. Vnde iure ex hoc quoq; anteponenda quãtitati uidet. quippe cum quod dimenſione caret, re dimenſibili, quod partiri non poteſt, eo quod partitionem admittit, quod indiuiſibile per ſe eſt, diuiſibili, ſimplex demum compoſito, & natura antecedat, & ad incoporea principia affinius & coniunctius ſit. *Dexip.* Immo uero o ſtudioſiſſime Seleuce Archytas quoq; Pytagoricus eodem hoc ordine uſus conſpicitur, ubi in hunc modum inquit: Ordo quidem ipſorum ita ſeſe habet: Prima ſubſtantia ſtatuitur, eo quod ſola ipſa & alijs ſubijciatur, & per ſe intelligi poſſit: reliqua uero ſine ipſa non poſſint: uel enim de ipſa dicunt, uel in ſubiecta ipſa ſunt. Secũda eſt qualitas: propterea quod ſine eo quod eſt qd, ut quale ſit, fieri nullo modo queat. Atq; ita quidem Pytagorici & Plotinus procedunt. Nos autem, ut pro Ariſtotele reſpondeamus, talem cauſam ordinis afferimus. Primum una cum ente & intelligibili, & uno multitudo etiam, & forma, & exempla ſubſtiterunt: quæ licet in Dei intellectione unita omnia ſint, propriam tamen ſubſtantiam & circunſcriptionem in ſe, unionem in Dei ſimplicitate habent. Quod ſi una cum ente ſtatim numerus formarum exiſtit, a primis cauſis & intelligibilibus qualitatem exordiri cenſendum eſt. At ſi quis hanc quæ ab uno producta eſt, tolli multitudinem ſupponat quiſpiam: quæ extra quidem expoſita non ſit, neque a producente ſeparata, ſed in ipſo & circa ipſum eſſentiam ſuam habeat: efficietur, ut multitudine eiuſmodi ſublata ſpecies quoq; ipſæ & formæ e medio tollantur. Quantitatis igitur proprietate detracta ſtatim formæ quoq; intellectio ſimul aufertur. Atque ita contrarium potius

euenit, quàm id quod iſti uolunt. Atque hoc pacto quidem aduerſus intellectuales uiros, & de intelligibilibus diſſerentes, qui quemadmodum illa, ita ſenſibilia quoque eſſe ſtatuenda opinantur, intellectualiter occurrendum fuit. Si autem Ariſtotelis uerius conſideranda ſententia eſt, rem ita perpendamus. Corpori, & eius dimenſioni quantitatis magis, quàm qualitatis natura cognata eſt. Vnde quia in pluribus cum quantitate, quàm cum qualitate ſubſtantia communicationem habet: non immerito quantitas ſecundum locum poſt ſubſtantiam obtinuit. Nam quod diuiſibilis ſit, quod compoſita, quod tribus dimenſionibus diſtet, quod partibilis ſit ſubſtantia, ex quantitatis natura habet. Qualitatis aũt natura ſolum id, ut talis ſit, pręſtat. Debuit igit̃ prius ſtatui quod in pluribus, quàm quod in uno tantum commune eſt. Quam ob rem cum ipſe compoſitam & corpoream ſubſtantiam primam eſſe ſtatuerit, conſentaneum fuit, ut ipſi ſtatim quantitatem adiungeret, utpote quę & cognatior, & propior ipſi eſſet, atque eiuſmodi, ut ex dimenſione eius ſimul exiſteret. Quin etiam in hunc modum reſpondere poſſumus, ut dicamus, quia ad eum uſum ut dicatur, compoſitum nobis notius eſt, propterea id quod dimenſibile eſt, compoſito ſimilius cum ſit, prius ſtatui debere, quàm qualitatem quæ dimenſione omni uacat.

Plotini dubitatio, ſi continua eſt quantitas, diſcreta non erit, & e cõtrario. Cap. 2.

Seleucus.

QVoniam uero rurſus inſtat Plotinus, utraſque ita eſſe dicendas quantitates negans: ſi enim, inquit, continua eſt quantitas, diſcreta non erit: ſi contra, diſcreta eſt, continua non erit: opus eſt, ut tu quidnam commune in utriſque ſit, explices. *Dexip.* Breuiter quidem ad quæſtionem hanc reſpondere ita poſſem, ſi dicerem communem hæc in ſe ipſis menſuram & terminum habere: id quod & in diſcreta & in continua conſideratur. Quia tamen ueriſſimile eſt, ut qui contentioſe agere uelit, quantitatem quę eſt in magnitudine, in eo eſſe quantitatem aſſerat, quod particeps numeri ſit: tuncque unumquodque quãtitatem aſſumere, cum in numerum fuerit redactum, dum bicubitale aut tricubitale eſſe præfinitur: de hoc quoque diſſeramus, neceſſe eſt. Continuum & diſcretum in uniuerſi mũdi conſtitutione propriam habere naturam utrunque conſpicitur. Nam diſcretum per appoſitionem & aceruationem, continuum per unionem & mutuam cohęrẽtiam conſideratur. ac continuum quidem & unitum magnitudo, appoſitum & diſcretum multitudo uocari conſueuit. Cum hęc igitur definita ita ſint, mundus quantum ad magnitudinis ſubſtantiam attinet, & unus, & ſolidus, & globoſus, & ſibi ipſi mutua partium cohęrentia coaptatus dicitur: quantum uero ad multitudinis contra notionem & naturam ſpectat, in orbes, ſtellas, elementa, animalia, plantas, atque id genus cætera diſtinctus eſt, ac diſtributus. Continui uero & uniti diuiſio in infinitum, incrementum in finitum procedit. Multitudinis autem e contrario ſicut auctio eſt infinita, ita finita diuiſio eſt. Porro utraque hæc genera ſcientijs, arithmeticæ multitudo, geometriæ magnitudo ſubijciuntur. Quapropter ſiue in eo quod ſubſiſtunt, ſiue in eo quod inter ſe diſtinguntur, nullo modo efficietur, ut multitudo per ſe, magnitudo ex accidenti quantitas ſit, quaſi ex numero quantitatem admittat. Commune enim utriſque illud eſt, ut ex propria quidque ſubſtantia menſurentur, & terminentur. Atque hæc ad allatam dubitationem in pręſentia dicta ſufficiant.

Quod diſcreta prior continua ſit, ac propterea utrarumque idem genus eſſe non poſſit. Cap. 3.

Seleucus.

AC mihi quidem diſcreta eſſe prior continua uidetur, ſi in hunc modum progrediamur. Continuum diuiſibile eſt in ea, quæ ſemper admittere diuiſionem poſſunt. Vnde ſi diſcretum non ſit, ne ipſum quidem eſſe continuum poterit. prior igitur diſcreta quantitas quàm continua eſt. Quod ſi eſt prior, communis eſſe utriſque quantitas nequit. propterea quod in quibus prius aliquid eſt, & poſterius, in ijs commune genus reperiri non ualeat. quippe cum ſpecies ſe mutuo ſimul non interimant: nulliuſque ſpeciei ſublatione fiat, ut genus tollatur. At in ijs alterum ab altero mutuo interimi demonſtratur, in quibus prius & poſterius eſt. Dexip.

At enim ſi uere conſiderare ipſam rem uelimus, prius et poſterius ex alio ipſis attribuemus. ex eo enim ꝙ eiuſdem generis utræque participes ſunt, æqualem ipſis communicationem in eſſe deprehenduntur. Nam una & eadem ratio quæ in genere conſideratur, quæ uniuſcuiuſq; ſpeciei naturam explet, a nullo impeditur, quo minus ſimul omnibus ijs adſit, quæ ex æquo capacia eſſe eius queunt. Vnde quamuis alia priora ſint, alia poſteriora, modo natura ea prædita ſint, ut ex ſe proxime generis communicationem poſſint percipere: utriſque ex æquo ſimul genus ſeſe participabit, ac diſtribuet. Ita quoque licet affirmatio prior natura ſit, ꝙ negatio, utraſque tamen in enunciando, & in eo ꝙ uerum aut falſum dicunt, ita ſumimus, & conſideramus, ut ſub eodem genere eſſe intelligantur: cum ex alio habeant, ut priores ſint, & poſteriores: ex eo uero ꝙ eiuſdem generis participes ſunt, illud conſequantur, ut tanquam ſpecies inter ſe diſtinctæ opponantur. Quin etiam Ariſtoteles ipſe ſe in his eiuſdem eſſe ſententiæ, dum numerum priorem quidem eſſe ordine, ſed ratione quam habet ad genus in æquali diuiſione collocandum eſſe cenſet, uel ex ipſo ordine quo in his diſponendis ſtatim eſt uſus, declarat. Nam & in prima diuiſione diſcretum continuo antepoſuit: et in ſingulorum enumeratione prius ea recenſuit, quæ diſcretæ quantitatis erant, ꝙ quę ſub magnitudinem referebantur. Propterea ſiquidem antepoſitus numerus eſt, quia per eum fieri uidetur, ut quantum in magnitudine percipiamus. Quemadmodum enim affirmatio quãuis prior negatione ſtatuatur, quia per eam negatio innoteſcit: quantum tamen ad ęqualem diuiſionem ſpectat, ad commune genus non magis accedit: ita hic quoque propterea inter ſe hæc ex oppoſito diſtinxit, quia ad rationem generis conueniunt, atq; ad id ex æquo præparantur. Accedit, ꝙ aliud eſt diuidi, & aliud diuiſum eſſe ac diſcretum. Quare ſi quod poteſtate eſt, in eo continetur, quod eſt actu: continuum autem diuidi poteſt: non recte id quaſi iam diſcretum ſit, ſumi debet. immo quod eſt poteſtate eo poſterius proculdubio habetur, quod actu & re ipſa eſt.

Quòd numerus aliam per ſe eſſentiam habeat, & aliam, vt quantitas. Cap. 4.

Seleucus.

COmmuniter quidem de diuiſione hac, & de quantitate in uniuerſum ſatis hęc ſint: ſeparatim autem de ſingulis ſpeciebus quæ Plotinus in dubitationem uocat, ea ſubiungenda mihi eſſe duco. Statim enim de numero inquirit, atq; aliam eius ex ſeſe ſubſtantiam eſſe inquit, aliam ex eo ꝙ quantitas eſt. Nam quę eius eſſentia per ſe eſt, prætermiſſa eſt ab Ariſtotele, ut ipſe inquit: altera explicatur, dum numerum quantitatem eſſe dicit. *Dexip.* Si ad Plotini inſtitutiones, & Platonis decreta prædicamenta perpendimus, quod dicis, eſſe rationi conſentaneum uidebit̃. At ſi Ariſtotelem ſequi uelimus, numerum in quantitate cõſideratum nullo modo bipartito diuidemus. Non.n. putat Ariſtoteles aliud eſſe quo ſit numerus, & aliud quo quotus ſit: ſed compoſitorum & materialium, & eorũ quæ in particulari ſpeciem habent, proprium hoc eſſe inquit. At quæ materia carent ſpecies, & incompoſitæ ſunt, eas eſſe eaſdem & q̃tum ad eſſentiã earum ſpectat, & q̃tum ad ea quę ipſas ſuſcipiũt, in omnibus ſuis diſputationibus aſſerit. Quod ſi & intelligibiles numeros, et eos qui illorũ ſunt participes, ſeparans Plotinus proprietatem utrorunq; ſeorſum aſſignet, ſuppoſitiones ſuas ptractat. Nos uero exploratum illud habeamus, numeros ex Ariſtotelis ſententia ipſis rerum ſubſtantijs eſſe neque priores neque poſteriores, ſed ſimul cum ipſis exiſtere: ita ut a nulla ex illis rebus abſint, quæ eorum quomodocunque eſſe participes poſſint, ſed omnibus etiam ſua illa indiuiſibili eſſentia ſeruata, licet ex ſuſcipientium diuerſitate poſtea immutentur. Atque ita fit, ut ſimul & numeri, & una cum ijs quæ numerantur, quoti exiſtant.

Vtrum in numeratis ſit numerus, an ſine ipſis metiatur: Plotini dubitatio. Cap. 5.

Seleucus.

PErſequitur eandem dubitationem Plotinus, & ruſſus quærit, utrum numerus hic inſit in ijs quæ numerantur, an abſq; ipſis tanquam regula metiatur. Nam ſi ipſe per ſe ſubſiſtit,

menſura erit, & non quantitas: ſin autem ineſt etiam ipſe in rebus, ab alio menſurabitur. *Dexip.* Quod a principio diximus, idem nunc repetendum eſt. adeſſe enim numeratis rebus numerum aſſerimus, & ſimul cum ipſis exiſtere, non tamen ita in ipſis ſubſiſtere, ut accidentis loco habeatur. Nam ſicut materiales ſpecies & formæ, licet propriam ſingulæ eſſentiam habeant, ſimul cum materia tamen ſunt: ita quoque numeri cum ex propria eſſentia ſubſiſtant, cum rebus ipſis ſunt, quas diſtingunt: quibuſque menſuram ſuam afferunt, utpote numerantes cum ijs coniuncti quæ numerantur. Quemadmodum enim ſpeciem afferentia ijs quæ in ſpeciem rediguntur, coniungi ita primum conſueuerunt, ſicut in ſeipſis ſunt, deinde ex ſubiecto diſtantiam efficiunt: ſic numerantia quoq; numerabilibus coaptata ad propriam menſuram ſingula reducunt, id quod ſunt, permanentia, nihilque immutata ab ijs quæ numerantur. Sed exemplo rem dilucidiorem faciamus. Forma ſtatuæ propriam rationem per ſe habet: nihilo minus tamen cum materia etiam conſideratur. Sic numerus cum numerabilibus rebus unitus propriam ex ſeſe ſubſiſtentiam habet. *Seleu.* Sed quantum, inquit, eſſe quantitas non poteſt. *Dexip.* Si aliquid aliud oſtendere eſſe quantitatem preter quantum poſſet, recte hæc fortaſſe aſſeueraret. Sed cũ iam a principio nihil aliud eſſe contendamus, q̃d & quantitati originem præſtet, & quanto: nequaq; quantitatem eſſe q̃tum negare merito quiſpiam poſſet. Id quod ex eo etiam perſpicere facile licet, q̃ fieri omnino nequit, ut ullum aliud prędicamentum naturæ quanti ſubijciatur: ſed ipſa principium quoddam ſeparatum eſt, quod cum nullo ex alijs generibus cõmunicationem habeat. Quare numerus ſiue per ſe ſumptus, ſiue in ijs quæ ipſius ſunt capacia, ſiue ſimul cum ipſis conſideratus, quantitas ubique eſt. Atque ita Plotini de numero dubitationes diſſoluimus.

Quod oratio ex accidenti ſit quantitas, per ſe vero aut in faciendo, aut in patiendo, aut in vtriſque collocanda ſit. Cap. 6.

Seleucus.

SEd iam ad orationem deinceps tranſeamus, & quæ de ipſa in dubium uocat, cõſideremus. Inquit enim orationem cum propriam ſuam habeat eſſentiam, quantitate poſtea tãquam accidente eſſe præditam. Nam quatenus oratio ſignificatiua eſt, aerem habere materiam, ex cuius uidelicet uerberatione exiſtat. Siue igitur ſit aeris uerberatio oratio quæ pronunciatur: ſiue non ſimplex uerberatio, ſed impreſſio quędam, & cõformatio aeris: utroq; modo fieri, ut effectio ſit: atq; ita aut in faciendo, aut in patiendo, aut in utriſq; eſſe conſtituendã orationem, quæ in uoce exiſtit, non in quantitate. Quid ad hoc obijciendum putas? *Dexip.* Illud profecto, q̃ non abſolute percuſſionem aeris uocem eſſe dicimus. nam digitus quoq; dum hac illac mouetur, aerem percutit, & nõdum tamen uocem facit. ſed percuſſio quãta, & uehemens, & tanta ut audiri poſſit: quæq; inter excelſum & defectum ita eſt moderata, ut menſuræ auditionis adæquetur. Iccirco Ariſtoteles cum ex magnitudine & quantitate uerberationis modum uocis præfiniat, merito ipſam eſſe quantam aſſerit.

Quòd oratio quatenus in tempore dicitur, ratione temporis quantitas ſit: Plotini dubitatio. Cap. 7.

Seleucus.

SEd quia in tempore, inquit Plotinus, dicitur oratio, quod quantitas eſt, etiam ipſa quantitas eſſe exiſtimatur. eſt tamen in tempore quantitas, & ob tempus. *Dexip.* Ad hoc dicimus, in uoce eſſe magnitudinem & paruitatem ex ſua ipſius natura, aut ex arteriæ magnitudine & paruitate. Quando enim aperitur & dilatatur, multitudinem, quãdo anguſtatur, paucitatem emittit. Quæ igitur ex natura ſua eſt breuis, in breui tempore, quæ eſt longa, in longo conuenienter pronunciatur. Vnde oratio quantitatem quæ in uoce eſt, priorem in ſe habet, quam illam quæ eſt in tempore. nam licet non pronuncietur, ea tamen quę ſcripta eſt oratio, longam in ſe natura, & breuem ſyllabam continet. Adde q̃ illud quoq; non ignoramus,

fieri poſſe, ut & longa ſyllaba in breui tēpore, & breuis in longo proferatur. quemadmodum interdum poetæ faciunt, qui & metrum & rhythmum immutant, quin etiam elementa ipſa & literas, cum ξηρὸν .i. ſiccū, & διόνυσον .i. Bacchū, η in ι, & ο in ω transmutatis ξιρὸν & διώνυσον dicunt. Quod ſi in his natura longum, & tempore manifeſte diſtare conſpicitur, non ex breuitate temporis ſyllaba breuis dicitur, ſed ex eo ꝙ eſt breuis ſyllaba, fit, ut in breui tempore pronuncietur.

Non ſatis eſſe ad id vt aliquid ſit quantitas, quòd menſuretur: Plotini dubitatio. Cap. 8.

Seleucus.

SEd quid ad aliam hominis obiectionem afferemus? cum ait, non ſatis eſſe ad id, ut aliquid quantitas ſit, ꝙ menſuretur. nam lignum quoque, inquit, cubito menſuratur, & tamen non propterea ipſum eſſe quantum quiſpiam aſſerit, quia menſuretur, ſed quia magnitudo ſit. quod enim ad ipſam quantitatem attinet, quæ accidit ligno, menſuratur a quantitate, quæ cubitali ligno accidit: lignum uero ipſum a ligno nō menſuratur. Ita oratio quatenus quidem eſt oratio, non menſuratur, ſed quatenus in tempore eſt. Tempus igitur erit, ꝙ menſuret tempus, breuius uidelicet, illud quod longius eſt. *Dexip.* Sed his quoque eodem modo occurrendum eſt. Nam ſi ex ſe inſitam habet magnitudinem uox, unde etiam interualla ipſius muſici facere conſueuerunt: ex ſe etiam quantitatem, non ex accidenti habebit. Quippe cum omne menſurabile aut menſurās ex natura ſua quoque quantum eſſe cenſendum ſit. Quocirca hæc quoque utpote quæ a tempore menſuretur, quantitas ſit neceſſe eſt.

* * *

FINIS.

A B C D E F G H I K, *Duerniones*,
L, *Ternio*.



Venetijs apud Hieronymum Scotum.
M D XLVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google